This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 06829769 0

COMPENDIUM

HISTORIÆ ECCLESIÆ,

A CHRISTO

AD FINEM USQUE SŒCULI DECIMI-OCTAVI.

CUM APPROBATIONE ILLMI. AC REVMI. EPISCOPI QUEBECENSIS.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

QUEBECI:

APUD FRÊCHETTE ET SOCIUM, TYPOGRAPHOS,
Viâ dictâ *Lamontagne*

1834.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
369415A
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
R 1928 L

APPROBATIO ORDINARII.

Neminem latet quàm sit utile ut omnes, in primis Viri Ecclesiastici, Historiam Ecclesiæ cognoscant ;—quomodò fundata fuerit creveritque eadem Ecclesia, quinam Sancti virtutibus eam adornârint, quinam Doctores operibus contrà Hæreticorum aggressiones defenderint. Nos igitur, ut tantum promoveatur bonum, auctoritate nostrâ approbamus, hujusque Diæceseos Viris Ecclesiasticis, præsertim verò Sacræ Theologiæ Tyronibus hocce Compendium Historiæ Ecclesiæ commendamus in quo, non minùs dilucidè quàm breviter, omnium sæculorum à Christo ad finem usque sæculi proximè elapsi, series Pontificum à quibus fuit Ecclesia gubernata, Sanctorum atque Doctorum, virtutibus et scriptis quorum illustrata et illuminata, Hæreticorum à quibus debellata, ordine describitur. Quod opusculum, frequenter ut consulatur, frequenter ut pervolutetur, in voto nostro est.

Datum Quebeci, die 6a. Februarii 1834.

✠ Jos. Epus. Quebecensis.

COMPENDIUM

Historiæ Ecclesiæ.

COMPENDIUM

HISTORIÆ ECCLESASSTICÆ.

EXPERIENTIA compertum est, plurimos Sacræ Theologiæ alumnos ingratissimum experiri laborem, in addiscendis tractatibus dogmaticis, ex eo quod tot Conciliorum, summorum Pontificum, sanctorum Doctorum, ac tandem Hæreticorum nomina, nesciant ad quam mundi ætatem, vel partem sint revocanda : hinc tot, apud juvenes Theologos, contrà rationem temporum et locorum, errores; hinc ea cum tædio legunt et sine fructu, quæ cum jucunditate et utilitate legerent, si prima saltem Historiæ Ecclesiasticæ rudimenta callerent. Aliundè etiam plerisque curta nimis est nummorum suppellex, quam ut copiam voluminum, in quibus sparsa reperiuntur Historiæ Ecclesiasticæ monumenta, sibi comparare possint. Quocircà nos illis, atque aliis etiam, quadamtenùs profuturos esse arbitrati sumus, si in lucem ederemu libellum hunc, mole levem, emptione brevem, at, ni fallimur, utilitate uberem, fortè uberrimum.

Libellus iste aperiet summatim Historiæ Ecclesiasticæ synopsim; percurrendo secula ab Ascensione Christi ad nos usque; et indicando de singulis sex capita, quæ videntur Ecclesiasticæ eruditioni pernecessaria.

1°. Indicabimus tempus, locum, præsidem et causam Conciliorum, præsertim Œcumenicorum, Ecclesiæ adversùs quam portæ inferi non prævalebunt, *Matth.*16.*v.* 18. quam qui non audit habendus est ut Ethnicus *Matth.* 18. *v.* 17. Cui nolle primas dare, summæ impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ, ex S. Aug. *lib. de util. cred.* Concilia ex omni parte Œcumenica admittuntur ab omnibus Catholicis, saltem 18; scilicet, 4 Constantinopolitana, 4 Lateranensia, 2 Nicæna, 2 Lugdunensia, Ephesinum, Chalcedonense, Constantiense, Viennense, Florentinum et Tridentinum.

2°. Enumerabimus SS. Pontificum qui Ecclesiam gubernârunt nomina, tempora et aliquandò facta. Horum Pontificum non interrupta successio tenebat in gremio Ecclesiæ S. Augustinum, ut ipse testatur *lib. contrà Epist. fund. cap.* 4. Legitimorum Pontificum numerus non constat omninò apud eruditos: appellabimus 254, ex quibus 76 coluntur in Ecclesiâ, nempe 37 martyres et 39 confessores. Non omittentur Antipapæ, seu illi qui sedem Apostolicam invadere conati sunt.

3°. Doctorum qui scriptis Ecclesiasticis floruerunt, notitiam trademus. "In Ecclesiâ Catholicâ "magnoperè curandum est, ut id teneamus quod "ubique, quod semper, quod ab omnibus magistris "constanter creditum est, ait Vincentius Lirinen-"sis, in Commonitorio."

4°. Institutum notabimus piarum societatum quæ Ecclesiam orationibus, exemplis et laboribus illustrârunt; in uno enim Ecclesiæ corpore divisiones gratiarum et operationum sunt, quas idem

Spiritus Sanctus operatur; et si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, 1 *Cor.* 13.

5°. Principes appellabimus, qui, apostolo docente, Dei sunt ministri in bonum, et quorum potestati qui resistit, Dei ordinationi resistit.

6°. Tandem Novatores, qui hæreseon suarum virus diffundere conati sunt, quodque Catholicæ doctrinæ caput subvertere aggressi sunt, non omittemus; attendendum enim est ad lupos rapaces qui in vestimentis ovium, ad rapiendas oves incautas, veniunt, *Matth.* 7. *v.* 15. "Oportet quidem "hæreses esse." 1 *Cor.* 11. *v.* 19. at, ut pulchrè dicit S. Ambros. *lib. de Salom. cap.* 4. "Ecclesia, "etsi undarum fluctibus aut procellis sæpè vexetur, "nunquam potest sustinere naufragium; quia in ar-"bore ejus, id est cruce Christus erigitur, in puppi "Pater residet gubernator, proram Paracletus ser-"vat Spiritus."

Synopsis primi Ecclesiæ seculi.

I. ÆRÆ vulgaris Christianæ anno 50, celebratum est Jerosolimis Apostolicum Concilium. Præfuit Petrus, et definitum est fideles ad observationem legis Mosaïcæ non teneri, *Act.* 15.

II. *Romani Pontifices* fuerunt S. Petrus ab ipso Christo Jesu constitutus caput visibile Ecclesiæ, quam rexit 37 annis, ab anno 33 æræ vulgaris ad 68 quo martyr occubuit Romæ, ubi sedem fixerat ab annis 24 et 5 mensibus; quos annos nullus ex successoribus in sede Romanâ vidit—S. Linus ab anno 68 ad 78—S. Cletus à 78 ad 91—S. Clemens I. S. Pauli adjutor. *Philip.* 4. *v.* 3. à 91 ad 100.

Duas ille scripsit ad Corinthios epistolas, quarum prima ferè integra ad nos pervenit; alterius unum superest fragmentum.

III. *Scriptores Ecclesiastici* fuerunt S. Barnabas, S. Pauli socius, qui scripsit epistolam satis prolixam, quæ à plerisque criticis ut genuinum ejus opus habetur—Hermas, S. Pauli discipulus, scripsit opuscula sub nomine *Pastoris*, quæ magno in pretio habita sunt primis Ecclesiæ seculis—S. Dionysius Areopagi Senator, à S. Paulo ad fidem conversus est Athenis, anno circiter 50. Utrum in Gallias venerit, et operum quæ sub ejus nomine vulgata sunt fuerit autor, ampla fuit disputandi materies. Nunc ut certissimum habetur, S. Dionysium Areopagitam esse omninò distinctum à Parisiensi, et neutrum esse autorem operum ipsi attributorum, sed aliquem 5 seculi autorem—Prochorus Diaconus et Abdias Babylonicus Christi discipulus, dicuntur Apostolorum historias descripsisse; at fabulis similiores sunt, quàm veræ narrationi. Traditio docet S. Petrum, post promulgatum multis in locis Evangelium, præsertim Judæis, postquam sedit Antiochiæ septem annis et Romæ 25, post devictum Simonem Magum, crucifixum fuisse Romæ; S. Paulum in multis regionibus Evangelium prædicasse, præsertim Gentibus, et Romæ gladio cæsum fuisse. Cæterorum Apostolorum missionis loca et mortis genera non omninò constant. Multi credunt S. Andream in Scythiâ, Epiro et Achaiâ Evangelium prædicasse et crucifixum fuisse. Acta ipsius passionis ab Achaïæ Presbyteris scripta, tanquam spuria à quibusdam nunc habentur—S. Jacobum majorem, jussu Herodis gladio cæsum fuisse constat ex *act. Apost. cap* 12 S. Jacobus minor, Jerosolimis è Templo præceps actus, obiit anno 62. S. Joannes Evangelista placidâ morte Ephesi obiit, Romæ, jussu Domitiani, in ferventis

olei dolium missus, illæsus exierat. Credunt multi S. Philippum in Phrygiâ, annuntiato Evangelio, trucidatum fuisse—S. Bartholomæum in majori Armeniâ et Indiâ prædicasse et occisum fuisse—S. Matthæum in Æthiopiâ et Perside prædicasse et interfectum fuisse—S. Thomam Parthis et Medis prædicasse et in Indiâ martyrem obiisse—S. Simonem in Africâ, et præsertim in Ægypto sacrum prædicasse Evangelium et neci traditum—S. Judam in Mesopotamiâ et Lybiâ prædicasse legem Christi, ad Abgarum Edessenum missum fuisse et ibi obiisse—S. Matthiam in Æthiopiâ prædicasse Evangelium et obiisse.

Canones sub nomine Apostolorum numerantur 85; sed constat 35 posteriores esse Apochryphos, 50 verò priores à viris Apostolicis, non tamen ab ipsis Apostolis esse, fatentur critici—Liturgiæ seu Rituales libri, quibus preces et ritus ad consecrandam et administrandam Eucharistiam continentur, plures vulgantur sub nomine SS. Petri, Matthæi, Marci et Jacobi; at putant critici eorum non esse opus genuinum. Liturgia S. Jacobi cæteris præstat—Constitutiones sub nomine Apostolorum, juxtà criticos, sunt tertii aut quarti seculi fœtus—Decretales, seu epistolæ Paparum trium priorum seculorum, collectæ ab Isidoro Mercatore 8 seculo, ab omnibus nunc criticis rejiciuntur tanquam suppositiæ, excipiendo tamen eas quæ ab antiquis Patribus, v. g. Athanasio, Hilario, Cypriano, Theodoreto, &c. referuntur—Apostoli certissimè tradiderunt articulos omnes qui leguntur in Symbolo Apostolorum dicto, sed non constat à quo illud, eâ quâ nunc legitur formâ, editum fuerit.

IV. Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, et erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum et communicatione fractionis panis sacri, et orationibus. Virginem Deiparam obiisse

et paulò post resurrexisse, et in cœlum corpore et animâ assumptam fuisse, pia est Ecclesiæ sententia, Mortem ejus Ephesi aut Jerosolimis, anno ætatis 72 contigisse putant plures. Multi Patres crediderunt Christianos fuise *Therapeutas*, id est servos Dei, quos Philo Judæos fuisse gloriatur. Hi vitæ contemplativæ, meditationi et scripturæ lectioni in solitudine vacabant, modico cibo et simplici veste utentes.

V. *Imperatores*—Tiberius, crudelis—Caius Caligula, naturâ monstrum—Clandius, infami Messalinæ nuptus; Judæos et Christianos Româ expulit et Agrippinæ veneno periit—Nero à Burro et Senecâ benè edoctus, sed impudentissimus et immanissimus hominum factus, Romæ ignem admovit, incendii Christianus accusavit movitque primam persecutionem. Galba, Otho, Vitellius, paucis mensibus—Vespatianus excidium horrendum Jerosolimitanum jussit, et filius ejus ac successor Titus, amabilissimus et benignissimus Princeps, quasi invitus executus est—Domitianus, stultus muscarum venator, sed crudelissimus Chritianorum persecutor per 25 annos—Nerva, bonus et clemens,

VI. *Novatores*—Simon Magus, à quo Simoniani, qui rem spiritualem posse pecuniâ possideri putabant; corporum resurrectionem negabant, &c—Cerinthus Simonis discipulus dicebat cum suis, Christum fuisse purum hominem, eumque non resurrexisse, Circumcisionem esse Christianis necessariam, &c. Ebion scelestissimus hæresiarcha, idem quod Cerinthus dicebat, in aliosque impurissimos errores lapsus est—Nicolaïtæ, quos *S. Petrus, 2. Cap. 2. v.* 15 sectatores Balaam appellat, fornicationem non esse peccatum asserebant: gloriabantur, jure aut injuriâ, nomine Nicolaï unius è 7 Diaconis—Gnostici, id est scientes, dicti sunt plures hæretici vaniores et in mysteriis suæ iniqui-

tatis turpiores—Josephus Judæus et sacerdos; præclarum tamen (ut probabilius est) de Jesu Christo testimonium scripsit, *Antiq. Jud. lib.* 18. *cap.* 4—Philo Judæus pariter et sacerdos, multa scripsit de scripturâ, sed allegoriis nimis deditus—Apollonius Tyanensis Ethnicus multas dicitur edidisse præstigias, at, si constarent, diabolicæ fuissent.

Synopsis secundi Ecclesiæ seculi.

I. CELEBRATUM est Romæ, anno 196, Concilium de Paschatis die, et damnatus est Polycrates Ephesinus Episcopus cum Asiaticis, quia Pascha celebrabant semper ipsâ 14ª die lunæ Martii. Parata erant excommunicationis fulmina à S. Victore I. Concilii præside: at S. Irenæus exoravit Victorem, qui intrà minas hæsit. Orti sunt deinceps quartodecimani vel Paschasitæ, similiter errantes, quorum praxis à Concilio Nicæno generali 1°. proscripta est.

II. *Rom. Pont.*—S. Anacletus à 100 ad 102—S. Evaristus à 102 ad 111—S. Alexander I. à 111 ad 119—S. Sixtus I. à 119 ad 129—S. Thelesphorus à 129 ad 139—S. Hyginus à 139 ad 143—S. Pius I. à 143 ad 157—S. Anicetus à 157 ad 168. S. Soter à 168 ad 177—S. Eleutherius à 177 ad 193—S. Victor I. à 193 ad 202.

III. *Scriptores Eccles.* S. Ignatius Episc. Antiochenus post Evodium, Romæ martyr obiit anno 106. Epistolas 7 scripsit, in quibus Christi divinitatem et in Eucharistiâ præsentiam realem testatur—S. Justinus Philosophus et martyr, duas pro Christianis optimas scripsit apologias—S. Irenæus, S. Polycarpi discipulus, deindè Lugdunensis post

S. Pothinum Episcopus, obiit martyr an. 202; scripsit Græcè, præsertim 5 adversùs hæreses libros—S. Clemens Alexandrinus Presbyter et Doctor, plura scripsit volumina eruditionis et eloquentiæ plena—Athenagoras Atheniensis Philosophus, apologiam pro nostrâ religione Imperatoribus obtulit—Melito Sardensis Asiaticus apologiam pro Christianis Antonino Imperatori exhibuit—Hegesippus de Historiâ Ecclesiasticâ scripsit—Tatianus benè et malè scripsit—Smirnensis Ecclesia, præclaram de martyrio S. Polycarpi sui Episcopi, epistolam misit—Lugdunensis et Viennensis Ecclesiæ direxerunt ad Asiaticos epistolam de Lugdunensium martyrio.

IV. *Sanguis Martyrum* semen erat Christianorum, ex quibus multi, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, vicerunt regna, operati sunt justitiam et adepti sunt repromissiones.

V. *Imperatores* fuerunt Trajanus in multis optimus: ejus ab inferis revocatio, fabula est. Tertiam in Christianos excitavit persecutionem, quamvis à Plinio accepisset eos nullius piaculi esse reos. Hadrianus Æliam urbem loco Jerusalem, et Templum in Jovis honorem ædificari voluit. Exercitum 58000 Judæorum à Barchochebâ ductum extinxit. Christianis non favit—Antoninus Pius ergà subditos, quos prudenter rexit; sed ergà Christianos, quos acerbè cruciavit, impius—Marcus Aurelius Marcomanis et Sarmatis bellum inferebat, exercitus ardenti premebatur siti, cum, orante Deum legione Christianâ fulminante, impetratur pluvia quæ recreat exercitum; non tamen omninò cessavit persecutio Commodus libidinosus fictus Hercules, aliis quam Christianis crudelior—Pertinax ex obscuro milite factus imperator—Didius Julianus—Septimus Severus, alter Sylla, quintam in Christianos movit persecutionem.

VI. *Novatores* fuerunt Millenarii, putabant sanctos, post resurrectionum generalem, cum Christo per mille annos corporaliter in terris victuros. Eorum autor fuit Papias, vir tenuis ingenii, non tamen impuras in sanctis admisit voluptates—Menandriani impudentissimi, à Menandro Simonis discipulo—Saturniani, à Saturnino Menandri discipulo—Basilidiani, à Basilide Menandri discipulo et Saturnini socio—Cerdoniani, à Cerdone mago—Theodotiani, à Theodoto Bizantino coriario—Carpocratiani, à Carpocrate impiissimo et impurissimo hæretico—Marcionitæ, ab impuro Marcione—Plerique ex illis duo admittebant principia, unum boni, alterum mali: Christi divinitatem et Passionem corporum etiam resurrectionem negabant; nec legitimè baptisabant.

Multa alia dictis et factis tradebant impura; et sacrilega, quæ ignorare melius est quàm referre; Cerdo tamen verè pœnitens et reconciliatus obiit—Encratitæ, id est, continentes, duce Tatiano, damnabant matrimonium tanquam malum et illicitum; ità etiam Severiani, qui usum vini reprobabant—Valentiniani, à Valentino, 30 deos seu Æonas aut secula admiserunt et ex illis prodiisse diabolum asserebant. Secundiani, à Secundo Valentini discipulo, Christum de cœlo corpus suum detulisse, dicebant—Montanistæ à Montano, qui cum Priscillâ et Maximillâ multos errores disseminavit, dicens se à Spiritû Sancto esse afflatum, imò, juxtà quosdam, se esse Spiritum Sanctum: rigidiores errabant circà Trinitatem, nec legitimè baptisabant; molliores cum rigidioribus dicebant fæminas sacris initiari posse ordinibus; peccata quædam esse irremissibilia, &c. dicti sunt Cataphrygæ, quia in Phrygiâ plures versabantur; dicti sunt etiam Pepusiani—Aquila, Symmachus et Theodotio, Græcas scripturarum versiones confecerunt, sed infausto exitû.

Attamen aliis longè accuratior versio Theodotionis ex quâ in bibliis nostris leguntur ea quæ desunt in Hebræo, et desiderantur in editione 70.

Synopsis tertii Ecclesiæ Seculi.

I. CELEBRATUM est Romæ, anno 251, a S. Cornelio Concilium contrà Novatianos; ibidem anno 257, à S. Stephano, contrà S. Cypriani opinionem; ibidem, anno 263, à S. Dionysio, contrà errores Sabellii; Antiochiæ, anno 270, contrà Paulum Samosatenum.

II. *Rom. Pont.* S. Zephirinus à 202 ad 219—S. Calixtus—S. Urbanus—S. Pontianus—S. Anterus—S. Fabianus à 236 ad 250. Vacavit sancta Sedes duobus ferè annis ob persecutionis acerbitatem; at Clerus Romanus Christiani gregis ubique diffusi curam suscepit..S. Cornelius à 251 ad 252, cujus electioni Canonicæ ambitiosus restitit Novatianus, à tribus Episcopis ebriis ordinatus Antipapa I. adjutorem hic habuit Novatum ex Africâ schismaticum et impium..S. Lucius à 252 ad 253..S. Stephanus à 253 ad 257: in oppositum Cypriani errorem non incidit..S. Sixtus II. cujus Archidiaconus fuit S. Laurentius..S. Dionysius à 259 ad 269..S. Felix I. missas celebrabat suprà martyrum memorias..S. Eutichianus..S. Caïus.. S. Marcellinus cujus in Concilio Sinuessenso, in idolatriam lapsus, et vadimonium fabula videtur à Donatistis inventa.

III. *Scriptores Eccles.* Caïus Presbyter Romanus plura scripsit, quorum fragmenta supersunt apud Eusebium et Photium. Minutius Felix Afer, causidicus, scripsit elegantem dialogum, in quo

Gentilium cultum, deorumque prosapiam ingeniosè suggillat—S. Hyppolitus Portuensis S. Irenæi discipulus, cujus tantùm fragmenta supersunt—Tertullianus Carthaginensis ad fidem conversus, Presbiter factus, multa scripsit, sale et acumine plena, præsertim *Apologeticum* adversus gentes, et librum de *Præscriptionibus*, quædam tamen reprehensione digna edidit: senex factus, fictâ Montanistarum pietate deceptus, eorum sectam amplexus, obiit anno 220—Origenes Alexandrinus Leonidæ martyris filius, S. Clementis discipulus et in scholæ præfecturâ successor, Presbyter ordinatus, doctrinâ, amore castitatis, fidei in tormentis confessione clarissimus; innumera scripsit volumina, quorum quædam ad huc supersunt, præsertim libri contrà Celsum; multos ob errores ipsi attributos, dùm viveret, damnatus est à Demetrio Episcopo Alexandrino, et post mortem ab Anastasio S. Pontifice: obiit anno 252—S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus assiduè Tertulliani evolvebat opera; et ipse pluribus Ecclesiam ditavit operibus. Celebre habuit dissidium cum S. Stephano Rom. Pontifice, qui antiquam traditionem, de non rebaptisandis iis qui ab hæreticis fuerant baptisati, servatâ essentiali formâ, retineri jubebat: S. verò Cyprianus cum Firmiliano Cæsariensi in Cappadociâ episcopo, et aliquibus Africæ Conciliis aliter opinabatur. Utrum S. Cyp. errorem suum, de re quam ad disciplinam pertinere arbitrabatur, deposuerit, prorsùs incertum. Si quid in hoc dissidio illi exciderit ex humanâ fragilitate, id totum abundantiâ charitatis purgavit, ex S. Augustino, consummato martyrio anno 258, quo tempore nihil adhuc definierat Ecclesia de Rebaptizantibus—S. Dionysius Alexandrinus, Origenis discipulus, Presbyter factus scholam Catechisticam tenuit, Episcopus ordinatus, apud S. Dionysium Papam accusatus est quòd diceret filium Dei crea-

turam : at ab eo errore se purgavit et fidei suæ professionem misit ad Antiochenam Synodum, contrà Paulum Samosatenum, quem ne salutatione quidem dignatus est, celebratam—Julius Africanus Chronologus fuit insignis—S. Gregorius Neocesariensis in Ponto episcopus, dictus Thaumaturgus, zelo fidei succensus, scripsit epistolam et fidei expositionem, obiit anno 265.

IV. S. Paulus Ægyptius, seculo valedicens, purissimam in solitudine vitam agens signifer fuit Eremitarum, quorum innumera multitudo vim cœlis intulit.

V. *Imperatores*—Caracalla—Macrinus—Heliogabalus, mortalium fœdissimus—Alexander Severus cujus mater Mamæa creditur Christiana ; undè in eam religionem fuit propensus—Julius Maximinus, anteà Bubulcus, christianæ religioni infensus maximè fuit—Gordianus—Philippus, occultè Christum coluit—Decius, Christianos omninò extinguere tentavit—Gallus—Valerianus Christian orum persecutor à Sapore Persarum Rege, etiam Christianorum acerbissimo persecutore, victus et ludibrium factus—Gallienus Christianis paulisper favit—Claudius II—Aurelianus Zenobiam vicit, magnus certe imperator si inhumanus non fuisset ergà Christianos-Tacitus olim rusticus—Carus—Carinus—Diocletianus cum Maximiano Hercule, Galerius et Constantius Chlorus Cæsaris titulo gaudebant : tunc immanissima fuit persecutio, præsertim à Galerio commota. Innumera, ad Christianos cruciandos, inventa sunt tormenta. Innumeri fuerunt gloriosi martyres.

VI. *Novatores*—Sabelliani, à Sabellio, negabant Trinitatem personarum in Deo, dicebantque unam esse duntaxat personam trinominem pro diversis functionibus ; dicti sunt etiam Patripatiani, quia Patrem passum esse dicebant—Paulianistæ, à Paulo

Samosateno Episcopo Antiocheno, filii Dei divinitatem oppugnabant. Collatum ab ipsis baptismum rejecit Concil. Nicænum—Praxeas et Hermogenes quos confutat Tertullianus, errabant circà Verbi æternitatem et mundi productionem—Novatiani à Novatiano Pseudopontifice Romano, Ecclesiam habere potestatem gravissima dimittendi peccata negabant—Cathari, id est, puri et mundi, Novatianorum erroribus addebant se esse sine peccato, et parvulos baptismo non indigere—Manichæi, à Mane Persâ olim servo, duos Deos, unum bonum et boni auctorem, alterum malum et mali causam, agnoscebant. Testamentum vetus omninò rejiciebant. Transitum animarum de corpore ad corpus; Christum habuisse corpus phantasticum non verum, &c. asserebant—Rebaptisantes ab Agrippino Carthaginensi Episcopo et à S. Cypriano hauserant, validum non posse ab Hæreticis conferri baptisma, unde ab illis baptisatos rebaptisabant—Felicissimus schismaticus cum suis, S. Cypriano antè et post ordinationem restitit: damnatus est ab Episcopis Africanis et à S. Cornelio SS. Pontifice.

Observandum est juxtà plerosque criticos recentiores, post S. Greg. Turon. circà medium hujus, seculi missos fuisse à Rom. Pontifice, Dionysinum, Parisios; Paulum, Narbonam; Martialem, Lemovicum; Saturninum, Tolosam; Gatianum, Turonem; Stremonium, Averniam, &c. Certum tamen est antè hoc tempus viguisse religionem Christianam in Galliis, *v. g.* Lugduni, Viennæ, Arelate, &c.

Synopsis quarti Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM primum Œcumenicum, nempè Nicænum primum anno 325 celebratum est, S. Silvestro Rom. Pontifice, Imperator Constan-

tino magno præsente. Adfuerunt 318 Episcopi, ei præfuit Papa per Legatos, Osium Cordubensem Episcopum, Vitum et Vincentium Rom. Presbyteros. In eo damnati sunt Ariani, Quartodecimani et Meletiani, Verbi divini consubstantialitas cum Patre, solemniter fuit definita.

Anno 381, celebratum est II. Concil Œcum. nempè primum Constantinopolitanum sub S. Damaso Papâ, Theodosio magno Imperatore. Ibi damnati sunt Macedoniani: confimata fides Nicæna et symbolo Nicæno quædam addita, 150 tantùm adfuerunt Episcopi: at eis adjungi possunt Episcopi Conciliorum Romæ habitorum annis 378 et 382, quæ cum Constantinopolitano sunt perfectæ consensionis.

Anno 314 Concilio Arelatensi contra Donatistas per legatos Sylvester præfuit—Anno 347 per legatos præfuit Julius Concilio Sardicensi, in quo innocentia S. Athanasii declarata est. Canones 20 circà discipliuam Ecclesiasticam conditi, jus appellandi ad Rom. Pontificem confirmatum est—Multa alia Concilia particularia habita sunt circà disciplinam, *v. g.* quinque Carthaginiensia, Concilium Eliberitanum in Hispaniâ anno circ. 310, at erroribus hoc immune non esse contendunt multi—Habita sunt etiam multa ab Arianis conciliabula, *v. g.* Antiochenum anno 341, Sirmiense anno 351, Seleuciense anno 359.

Celebre est Concilium Ariminense in Italiâ celebratum anno 359 sub Liberio Papâ, adfuerunt 400 Episcopi, firmissimè initio se gesserunt, et juxtà multos, quamdiu fuit legitimum Concilium; deinceps per Legatos vel per seipsos Episcopi subscripserunt formulæ ab Ursatio et Valente oblatæ, in quâ reticebatur vox *consubstantialis* et sic fraudibus Arianorum et minis Constantii Imperatoris, lapsi sunt patres. Ab

Catholicâ adversus Arianos præcipuè et eximiè perfunctus laboribus, obiit 397—S. Basilius magnus Cesareæ in Cappadociâ Episcopus, S. Gregorii Nazianzeni amicitiâ conjunctissimus, graves toto vitæ suæ cursu lites exercuit cum Eunomianis, Arianis, &c. plurima scripsit, quæ summam pietatem, scientiam et eloquentiam ostendunt, obiit 379—S. Cyrillus Jerosol. Episc, inter cætera opera scripsit Catecheses ad erudiendos Catechumenos et recens baptisatos; præsentiam Christi realem in Eucharistiâ manifestè declarat, obiit 385—Eusebius Cæsariensis, S. Pamphili martyris amicus, multa scripsit, præsertim historiam Ecclesiasticam, cujus dicitur parens. Arianis favit, obiit 340—Eusebius Emissenus in Syriâ Episc. scripsit breves homilias, obiit 360—Didymus Alexandrinus ab infantiâ cœcus, in omni tamen genere excelluit—S. Ephrem Edessenæ Ecclesiæ in Syriâ Diaconus, ordinationi Episcopali se subtraxit; hæreticos mirâ vi refutavit, obiit 379—S. Epiphanius Salaminæ in Cypro insulâ Episc. multa scripsit, sed præsertim adversus hæreses 80, dat adversus eas pharmacum et fidei Catholicæ regulam—S. Gregorius Naz. patris Episcopi coadjutor, Sazimorum, deindè Constantinopolitanorum adfuit II. Concilio generali; Episcopatu, pacis causâ, se abdicavit; omni scientiarum genere præcellens, in Theologiâ summus, obiit 390—S. Gregorius Nyssenus in Cappadociâ Episc. S. Basilii frater, annis 8 pro Nicænâ fide exul, Concilio II. generali interfuit; multa scripsit luculenta, obiit 394—S. Hilarius Pictaviensis Episc. Arianæ factionis adversarius constans, eam vivâ voce, etiam exul, scriptis, frequentibusque synodis debellavit et eam à Gallis eliminavit. A. S. Hieronymo vocatur eloquentiæ Rhodanus, obiit 368—Lactantius Arnobii discupulus *Cicero Christianus* appellatus est,

Gentilium superstitiones refellit, obiit 325—Lucianus Presbyter Antiochensis et martyr, in carcere strictissimè vinctus, super pectus suum Eucharistiam consecravit; scripturæ sacræ editionem adornaverat—S. Eusebius Vercellensis Episcopus scripsit epistolas, robore Apostolico ac pietate plenas, obiit 370—Osius Cordubensis in Hispaniâ Episc. pater Episcoporum et Conciliorum vocatus, annos 100 natus, plurimis ærumnis obrutus, lapsus est, at instante morte, Arianorum hæresim anathematizavit—S. Optatus Milevitanus in Numidiâ Episc. doctè et acutè contrà Donatistas scripsit, obiit 370—S. Pacianus Barcinonensis in Hispaniâ Episc. scripsit opuscula et epistolas, quæ jurè collaudantur, obiit 390—S. Phæbadius Agiannensis in Galliâ Episc. in Concilio Arimin. pro fide Nicænâ egregiè decertavit; scripsit etiam contra Arianos; obiit 398—S. Philostrius Brixiensis Episc. scripsit librum de hæresibus, Catholicæ veritati addictissimus, obiit 398—Rufinus Aquileiensis Presbyter, Origenis apologista, plera scripsit, et opera multorum Græca Latinè transtulit.

IV. S. Antonius Ægyptius Cœnobitarum pater, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi, innumeros in solitudine acquisivit sanctos Christo, et Ecclesiæ: miro fuit, ex S. Athanasio ejus vitæ scriptore, contrà Arianos cæterosque Ecclesiæ hostes, zelo, obiit 356—S. Pachomius miles, charitate christianorum conversus, et ipse charitate succensus, innumeros rexit Monachos in solitudine Thebaidis, obiit 346. S. Hilarius fuit etiam insignis Cœnobitarum Abbas—S. Martinus Turonensis, admirabili sanctitate conspicuus, Monasticum et Episcopalem statum decoravit, obiit 399 circiter—Qui in solitudine meditationi et austeritati vacabant *Ascetæ* dicti sunt; qui seorsim habitabant, *Anachoretæ* vel *Eremitæ*

et *Solitarii* dicti sunt; *Cœnobitæ* aut *Monachi* dicti sunt qui simul vivebant, vel in eâdem domo et Monasterio vel in Laurâ, id est, in Cellulis parum à se distantibus—3. Basilius instituit Monachos quibus dedit regulas anno 361, illi in Oriente et Occidente propagati sunt.

V. *Principes*—Maxentius Christianorum hostis et Galerius Imperatores: Cæsares verò Maximinus, Severus et posteà Licinius, qui innumeros interfecerunt martyres: Constantinum Cæsarem è medio tollere voluerunt, at fugit in Britanniam ad patrem Constantium, qui Christianis favit; mox à morte patris Constantinus Imperator salutatus, omnes alios debellat signo crucis; Christianæ religionis alumnus, fecit vexillum, cruce insignitum, quod *Labarum* appellatum est. *Magni* nomen sibi comparavit: Bisantium magnificentissimè extructum, Constantinopolim appellavit. Eusebii Nicomediensis artibus deceptus, S. Athanasio non favit. Juxta quosdam, Romæ à Sylvestro anno 324, juxtà alios Nicomediæ sub finem vitæ baptisatus est, obiit 337—Helena ejus mater sanctam Domini crucem invenit Jerosolymis anno 326—Mortuis Constantino juniore et Constante fratribus, et Magnentio tyranno devicto, solus imperavit Constantius, hæresi Arianæ addictissimus obiit 361..Julianus apostata christianos dirè cruciavit, at contrà Saporem Persarum regem pergens, occidit 363..Paucis mensibus imperavit amabilissimus Jovianus. Valentinianus, Princeps optimus, Valentem fratrem pessimum Collegam designavit, et obiit 375. Dum in Occidente imperabant piissimi Gratianus et Valentinianus junior, cujus Justina mater atrox fuit Ariana, imperii socium cooptârunt Theodosium magnum, qui Maximum et Eugenium tyrannos debellavit: de religione optimè meritus, obiit 395.

D

VI. *Novatores*—Ariani, ad Ario Alexandrino Presbytero, qui animam nefandâ hæresi infectam, cum visceribus exhalavit, anno 336, Verbum divinum non esse patri consubstantiale asserebant, et Christum esse omni sensu patre minorem—Semi-ariani, quorum duces fuerunt Basilius Anciranus et Macedonius qui dicebant quidem filium esse patri similem, at non consubstantialem—Anomæi, id est *dissimiles*, seu Eunomiani ab Eunomio, qui dicebant filium patri æterno dissimilem, et se Deum perfectè comprehendere—Æriani ab Ærio Presbytero, qui æqualitatem Presbyterorum cum Episcopis, inutilitatem precum pro defunctis, &c. docebant—Apollinaristæ ab Apollinari Laodiceno Episcopo, qui dicebant verbum divinum fuisse Christo, loco animæ—Anthropomorphitæ et Audiani ab Audeo, qui dicebant Deum formâ humanâ esse præditum, nostrisque similia habere membra—Collyridiani Beatam Virginem ut deam colentes, collyridem seu placentam illi sacrificantes offerebant—Donatistæ à Donato à Casis nigris in Numidiâ Episcopo, schisma fecerunt anno 306, occasione ordinationis Cæciliani Carthaginensis Episcopi, quam dixerunt irritam, quia ordinatus fuerat a sacrorum codicum Traditoribus; undè Majorinum in ejus locum intrudere conati sunt. Dicebant Ecclesiam Catholicorum periisse ob crimina Cæciliani, peccatores non esse membra Ecclesiæ, sacramenta ab hæreticis et malis ministris collata esse itèranda, &c. Damnati sunt in Concilio, de consensu Episcoporum ab Imperatore convocato, quod S. Aug. appellat *plenarium*, habitum post mortem S. Cypriani et antè ortum ipsius Aug. Fultne Nicænum, aut Arelatense anni 314 non liquet—Joviniani à Joviniano, nuptias cælibatui æquabant, jejunium aliasque corporis macerationes nihil prodesse, sanctos omnes æquali gloriâ donatos esse, affir-

mabant—Luciferiani à Lucifero Calaritano in Sardiniâ Episcopo, qui indignè ferens Episcopos Arimini lapsos, licet pœnitentes, suis sedibus restitui, schisma fecit anno 362; errores schismati addiderunt Luciferiani—Macedoniani à Macedonio Episcopo Constantinopolitano, Spiritum Sanctum esse meram creaturam blasphemantes asserebant—Meletiani schismatici, à Meletio Lycopolis in Ægypto, qui à Petro Alexandrino Episcopo depositus propter idololatriam, à judicis sui communione se subduxit, anno 304—Photiniani, à Photino Sirmiensi Episcopo, erant Manichæi et Sabelliani, licet quantum poterant occulti; dicebant: *Jura, perjura, secretum prodere noli.* In Concilio Cæsaraugustano damnati sunt, et deinceps Priscillanus, de consilio Idacii et Ithacii Episcoporum, gladio est addictus; undè schisma aliquod ortum est tempore S. Martini.

Synopsis quinti Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM III. Œcum. celebratum est Ephesi, anno 431, sub S. Celestino I. Papâ, et Theodosio juniore Imperatore. Nomine Papæ præfuit S. Cyrillus Alexandrinus cum Arcadio et Projecto. Adfuerunt 200 Episcopi, et definitum est contrà impium Nestorium Episc. Constantinopolitanum, unicam esse in Christo personam, et B. Mariam esse verè Dei-param, Proscripta etiam fuit Pelagiana hæresis.

Anno 451 Concilium IV. Œcum. celebratum est Chalcedone propè Constantinopolim, imperantibus Marciano et Pulcheriâ, S. Leone I. SS. Pontifice, cujus nomine præfuerunt Paschasinus et Lucentius. Aderant plusquam 500 Episcopi.

Damnati sunt Eutychiani, unicam in Christo admittentes naturam. Approbata est S. Leonis epistola, depositus est Dioscorus Alexandrinus Episc. qui anno 449 Latrocinium Ephesinum tenuerat, ubi S. Flavianum Episc. Constantinopolitanum deposuit, et postea illi multis quibus eum vulneraverat plagis, mortem attulit.

De Disciplinâ Ecclesiasticâ multa habita sunt Concilia, v. g. Toletana, Carthaginensia, Turonense I. anno 461, editi 13 canones: Andegavense I. anno 453, canones 12—Circà tempora Concilii Chalcedonensis usurpari cœpit nomen Patriarchæ; nimirum *jure divino*, Summus Pontifex præest omnibus Episcopis, primatu non tantum *honoris* sed et *jurisdictionis*: deindè dicti sunt Patriarchæ illi Episcopi, qui in magnâ orbis parte jurisdictionem exercebant. Tres statim fuerunt hujusmodi Episcopi, Romanus, Alexandrinus et Antiochenus. Deinceps honor Patriarchatûs accessit Jerosolimitano, tandem Episcopus Constantinopolitanus obtinuit Patriarchatum, imò secundum occupavit locum. Patriarchis suberant Exarchi Ecclesiastici, Exarchis Primates, Primatibus Metropolitani seu Archiepiscopi, Archiepiscopis Episcopi; hi autem præsidebant in Urbibus. Sæpè in pagis erant Chorepiscopi, quorum alii caractere Episcopali erant insigniti, plerique eo carebant: Parochi, sub Episcoporum autoritate curam animarum habebant. Cæteri Clerici non admittebantur in Clerum, nisi ad aliquod ordinis munus in certâ Ecclesiâ obeundum. Bonorum temporalium Ecclesiæ dispensatio erat penes Episcopos, non tanquam Dominos, sed dispensatores, et in quatuor partes distribuebantur bona; 1, pars pro Episcopos, 2, pro Clericis; 3, pro Templorum reparatione; 4 pro pauperum sustentatione.

II. *Rom. Pont.* S. Innocentius I. à 401 ad 417, Pelagianos damnavit—S. Zozimus iterùm Pelagianos damnavit, à cujus judicio 18 Episcopi provocarunt ad futurum Concilium Œcumenicum; verùm in Ephesino damnatio confirmata est—Bonifacius I. à 418 ad 422. huic restitit Eulalius Archidiaconus, Antipapa—S. Celestinus I. à 422 ad 433—S. Sixtus III. à 432 ad 440—S. Leo magnus, inter Doctores celeberrimus à 440 ad 461: quosdam è canonibus Concilii Chalcedonensis noluit approbare, eos nempè quibus multæ prærogativæ attributæ fuerant Constantinopolitanæ Sedi—S. Hilarius à 461 ad 468—S. Simplicius à 468 ad 483—S. Felix III. S. Greg. magni atavus à 483 ad 492—S. Gelasius I. à 492 ad 496 libros canonicos ab apocriphis discrevit. S. Anastasius à 496 ad 498—S. Symmachus à 498 ad 514, ei restitit Antipapa Laurentius qui cædibus Romam implevit; bona Ecclesiæ, titulo beneficii ad vitam concedi permisit Symmachus Clericis de Ecclesiâ bene meritis, vel Monasteriis. Hæc videtur beneficiorum Ecclesiasticorum origo, paulò post confirmata in Concilio Aurelianensi anni 538, in quo prædia Ecclesiæ conceduntur Clericis, ad vitam non amovibilia.

III. *Scriptores Eccles.* S. Augustinus Hipponensis in Africâ Episcopus, vir summi ingenii, Catholicæ fidei zelator indefessus, omnes sui temporis hæreticos scriptis eximiis debellavit, sed præsertim Manichæos, Arianos, Donatistas, Pelagianos et Semipelagianos, obiit 430—Cassianus Ægypti Monasteria peragravit; deinceps à S. Chrysostomo Diaconus ordinatus, ab Innocentio I. Presbyter factus, Massiliam venit, anno 410, duo ibi Monasteria fundavit; multa opera tum ascetica, tum polemica scripsit, præsertim collationes patrum Eremi, quarum una saltem Semi-

pelagianismi fuligine tincta est—S. Cyrillus Alexandrinus Episc. avunculo suo Theophilo, qui S. Chrysostomum insectatus fuerat, successit: Hæreticos, præsertim Novatianos et Nestorianos, indefesso studio et mirabili successu impugnavit. Ejus opera magno semper in pretio habuêre Catholici, obiit 444—S. Germanus Antissiodorensis Episcopus, cum S. Lupo Trecensi Episcopo missus à Clero Gallicano ad refellendos et convertendos in Angliâ Pelagianos, obiit 448—S. Gaudentius Brixiensis Episc. multos sermones seu tractatus de variis argumentis edidit, obiit 420—Gennadius Massiliensis Presbyter composuit librum de scriptoribus et de dogmatibus Ecclesiasticis; Semipelagianismi accusatur—S. Hyeronimus Stridonensis in Dalmatiâ Presbyter, morum exemplar, Orbisque magister in vario scientiæ genere excelluit, sed potissimùm in scripturæ sacræ intelligentiâ: varios feliciter confutavit hæreticos, imprimis Vigilantium, Helvidium, Jovinianum, Luciferianos, Pelagianos, Origenistas: obiit 420... Faustus Lirinensis Monachus et Episc. Regiensis in Provinciâ, Synodorum Arelatensis et Lugdunensis impulsu, scripsit libros de gratiâ et libero arbitrio; Lucidum Prædestinatianum ab errore revocavit. Quidam eum è grege Semipelagianorum fuisse credunt.. S. Hilarius laicus, S. Augustini discipulus, ad eum scripsit de Massiliensibus.. S. Joannes Chrysostomus *seu os aureum*, Episcopus Constantinopolitanus, in quo exquisita fuit rerum divinarum peritia, dicendi et scribendi summa facilitas; Judæos, Gentiles, Arianos, &c. doctè admodum confutavit, obiit in exilio 407.. Isidorus Pelusiota Presbyter, cujus supersunt nonnullæ epistolæ sacrâ eruditione refertæ, obiit 440.. S. Maximus Taurinensis Episc. elegantes dedit homilias, obiit 476.. Paulinus Burdiga-

lensis, Episcopus Nolanus, à multis Doctoribus celebratus est, obiit 431..S. Petrus Chrysologus eloquentissimus, Ravennæ in Italiâ Episcopus, multos scripsit luculentos sermones, obiit 450.. S. Prosper ex Aquitaniâ laicus, doctrinæ S. Aug. addictissimus, multa contra Semipelagianos, tum strictâ, tum solutâ Oratione edidit, obiit 460.. Prudentius Hispanus Poeta, plurimorum, imprimis martyrum, certamina et victorias describit, obiit 410..S. Remigius Rhemensis Episc. Clodovæum, ad fidem conversum, edocuit et baptisavit, obiit 536..Salvianus Massilensis Presbyter, eximia de Providentiâ et adversus avaritiam dedit opuscula, obiit 496..Severus Sulpitius Presbyter, S. Martini discipulus, cujus vitam scripsit, historiam sacram composuit, obiit 420..Sidonius Apollinaris Lugduni natus, in seculo clarissimus, posteà Arvernorum Episc. multa metro et solutâ oratione præclara conscripsit opuscula..Sozomenus Causidicus historiam Ecclesiasticam elucubravit, non omninò castigatam...Theodoretus natione Syrus, Episc. Cyri, scripsit historiam Ecclesiasticam, multosque in sacram Scripturam commentarios ; Nestorio impensè favit, scripsit acerbiùs contrà S. Cyrillum Alex. dixit tandem anathema Nestorio in Concilio Chalced. obiit 458.. Socrates historiam Ecclesiasticam scripsit à tempore Constantini ad 439, nimis favebat Novatianis.. Vincentius Lirinensis Monachus Presbyter anno 434, egregium scripsit opusculum, cui titulus *Commonitorium adversus hæreses*, obiit 470-S. Eucherius Monachus Lirinensis, et posteà Lugdunensis Episc. sermones eloquentissimos et eximium de mundi contemptu opusculum adornavit...S. Hilarius Arelatensis Episc. sub S. Honorato fuerat Lirinensis Monachus, quædam dedit opera, obiit 454.

IV. S. Augustinus et plerique hujus seculi Episcopi cum Clericis vivebant in Seminariis, eosque ad ritè obeunda sacra ministeria, spiritûs Ecclesiastici fervore disponebant..S. Patricius, Hybernorum Apostolus, obiit 460...Florebant etiam Monasteria, pietate et eruditione Monachorum..S. Nilus vir divinus, S. Chrysostomi discipulus, in deserto Sinaï solitariam vitam degens, egregia ediderat volumina...Mirabilis Simeon Stylites, in columnâ 40 cubitis altâ austeritatis prodigium, obiit 460; vigebat in Galliis Regularis Ordo, præsertim in Monasterio Lirinensi.

V. *Principes*...Duo Filii Thedosii magni, ambo molles. Arcadius in Oriente, regente Ruffino, et Honorius in Occidente, regente Stylicone. Utriusque regentis ambitio Barbaros omnis generis in sinum Imperii excivit. In Oriente mortuo Arcadio anno 408 succedit Theodosius junior, quo mortuo 450, ejus soror Pulcheria castissima Marciano nupsit, quo mortuo 457, succedit Leo Trax. Posteà Zeno Isauricus impius, obiit 490..In Occidente Honorii jussu interfectus est Stylicon. Constantinus, Constans et Julianus tyranni occiduntur. Mortuo Honorio 423, imperat, cum sorore Placidiâ, Valentinianus III. qui occiso Aëtio, ipse occiditur à Maximo qui occupat imperium. Maximo interfecto, Genserico Romam diripit; omnia proruunt, Avitus, Gallus, Majorianus Severus, Anthimius, Olibrius Glicerius, Julius Nepos, paucis annis imperium tenent. Momilus, qui et Augustulus, anno 476 depositus est ab Odoacre Herulorum rege, qui anno 493 occisus est à Theodorico, Ostrogothorum rege.

Gothi è Suecia propè Mare-Balticum orti, fidem Christianam susceperunt, sed Valentis

Imperatoris arte, Ariano veneno infectam, in duas divisi sunt Gentes; qui, ex Orientali parte, dicti sunt Ostrogothi; ex Occidentali, dicti sunt Visigothi.. Anno 410 Romam capit et devastat Alaricus I. Visigothorum Rex, quo mortuo Ataulphus ejus frater Romam denuo populatur: ejus successores occupant partes Galliæ, donec à Clodovæo expellantur, et partes Hispaniæ donec, anno 713, à Mauris et Saracenis expellantur post 300 annos occupationis. Ostrogothi in Italiâ dominationem stabiliunt per 60 annos: nam anno 493, Theodoricus victo Odoacre, ibi regnat; eo mortuo 526, Athalaricus succedit; deindè Vitiges à Belisario victus 538; succedit Totila à Narsere victus 552.. Vandali ex Germaniâ orti, populatis Galliis, anno 408, penetrant in Hispanias et in Boeticâ, seu Andalusiâ, sedem figunt anno 427. Comes Bonifacius proditionis ab Aëtio accusatus evocat in Africam Gensericum, Vandalorum regem, furibundum Catholicorum hostem, cui succedit Hunericus impietatis æmulus, deindè Trasimundus, Hildericus, Gilimer; iste anno 534, à Belisario, quem Justinianus miserat, victus est, extinctumque Vandalorum regnum post annos 108 in Africâ.

Alani, barbari, crudeles ex Scythiâ seu Tartariâ orti, anno 409, partìm in Galliis, partìm in Hispaniis propè novam Carthaginem subsistunt Suevi è Germaniâ orti, in Hispanias penetrant anno 409, et ibi in Gallæciâ et Lusitaniâ substiterunt.. Hunni seu Avares, ex Sarmatiâ seu Moscoviâ orti, in Germaniam, Italiam et Galliam penetrant; ubi ab Aëtio, qui eos excitaverat anno 432, adjuvante Merovæo, victi sunt anno 451, cum rege suo Attilâ qui Italiam vastaverat in Pannoniam seu Hungariam redierunt, ibique steterunt usque ad Caroli Calvi tempora. Heruli

ex Scythiâ orti in Italiam se contulerunt, anno 476, duce Odoacre qui Augustulum spoliavit: et ipse anno 493 regno vitâque privatus est, à Theodorico Ostrogothorum Rege. Heruli sub Justiniano fidem amplexi sunt. Longobardi, à longâ barbâ, anteà Viniti dicti, è Scandinaviâ orti à Narsete vocati, anno 568, in Italiam, cum Rege suo Alboïno, adveniunt; ibi Galliam Cisalpinam seu Liguriam obtinent et regnant usque ad Carolum magnum. Burgundiones è Germaniâ orti, anno 423, in Gallias penetrant et occupant à Rheno ad ora Massiliensia.

Nobilis et inclitæ Francorum gentis Rex Clodovæus, victis hostibus et præsertim Alarico II. Visigothorum Rege, à Rheno ad Pyrenes usque regnabat; à Clotide et à S. Remigio edoctus anno 496, baptisatur et ungitur cum sacrâ Ampullâ, ut ferunt, è Cœlo allata. Multas Clericis et Ecclesis concessit immunitates, obiit 511.

VI. *Novatores*—Eutychiani ab Eutyche, Archimandritâ, id est, multorum Monasteriorum præposito; asserebant unicam esse in Christo naturam; scilicet ex duabus unam coaluisse—Nestoriani à Nestorio Episcopo Constantinopolitano; duas in Christo personas admittebant et B. V. Mariam negabant esse Dei-param. Nestorio diù sive Joannes Antiochenus—Pelagiani et Celestiani à Pelagio et Celestio Monachis, divinæ gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus meritorios, et peccati originalis existentiam, negabant. In multis Conciliis damnati sunt—Semipelagiani, sive Massilienses, qui erant Presbyteri in urbe Massiliæ commorantes, in eo præsertim errabant, quòd gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei, seu salutis, negarent. Eos refellit S. Aug. *Libris de Præd. SS. et de dono Persev.*

Prædestinatiani qui dicebant alios ità prædestinatos esse ad vitam, ut perire non possent; alios ad mortem æternam ità conditos esse, ut salvari nequeant: undè bona opera nihil prodesse damnandis, et mala non nocere electis: Christum pro salute omnium non esse mortuum, extinctum esse liberum arbitrium, &c. Hæc hæresis ejurata fuit à Lucido Presbytero, et damnata à Conciliis Arelatensi et Lugdunensi circà 475—Eutychiani et Semi-Eutychiani diu Concilio Chalcedonensi pertinaciter restiterunt. Postquàm Dioscorus Alexandrinus Patriarcha ab hoc Concilio depositus est, à Catholicis electus fuit Proterius; deindè Joannes Thalaïa; sed ab Eutychianis intrusus est Timotheus Eleûrus; deindè 478 Petrus Moggus, impietate famosus: hic fuit protectus à Zenone Imperatore, qui anno 482 dedit *Henoticon*, id est, *edictum conciliatorium*, in quo favet Eutychianis, et Concilio Chalced. adversatur. Intereà Petrus Fullo, qui apud Acæmetas Fullonis artem exercuerat, Constantinopolim venit. Ibi Zenonis potentiâ fretus, sedem Antiochenam invadit anno 471, depositus et restitutus fuit sæpiùs—Acacius Gennadio Patriarchæ Constantinopolitano subrogatus est anno 471, homo versipellis, irà in Thalaïm succensus, Eutychianæ favet hæresi: auctor fuit Zenoni condendi *Henotici* et Moggum restituendi; undè Papa Felix III. Acacium, Petrum Moggum, et Petrum Fullonem ab Episcopatu deposuit et anathemate percussit: indè natum schisma Acacii, quod duravit à 484 ad 519, ejus enim successores Fravitas vir dolosus, Euphemius vir probus, et Macedonius vir integerrimæ fidei, noluerunt Acacii nomen eradere è sacris Dypticis, seu è serie Catholicorum Episc. quorum nomina in sacris mysteriis recitabantur; at anno 519, consentiente Joanne Constantinopolitano, et Jus-

Synagoga

I. CONCILIUM politanum II. et Justiniana Imp. terfuère Orientalis chio Constantinop. 546, sub VI. fuerat.

tino Imperatore, nomen Acacii è Dypticis deletum est, et pax restituta—Plures fuerunt Eutychianorum rami—Acephali erant Eutychiani, qui sine capite, aut avulsi à capite, dicti sunt, quandò divulsi sunt à Petro Moggo eò quid admittendo *Henoticon* non damnabat Concilium Chalced. Dicti sunt etiam Severiani, quià Severus Monachus flagitiosus et Pseudopatriarcha Antioch. anno 513, eorum dux fuit. Agnoëtæ, seu ignorantes, fuerunt Eutychiani occulti qui Christo ignorantiam *v. g.* diei judicii, affingebant. Theospaschitæ, ducibus Petro Knaphæo Monacho Eutychiano et Petro Fullone Christum assumpsisse corpus subtile et impassibile asserebant, et ipsam divinitatem passam fuisse. Dolosè decantabant Trisagion istud : *Sanctus Deus, sanctus fortis sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis.*—Vigilantiani à Vigilantio Prsebytero, docebant illicitam esse sanctorum venerationem, vetitumque sanctarum Reliquiarum cultum ; à S. Hieronimo acriter impugnati sunt.

Synopsis sexti Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM V. Œcumenicum Constantinopolitanum II. anno 553, sub Vigilio Papâ et Justiniano Imperatore, celebratum. Soli interfuêre Orientales Episcopi 165, præside Eutichio Constantinopolitano. Inceptum fuerat anno 546, sub Memnâ, et Origenismus damnatus fuerat. Primò Vigilius et Occidentales ei reluctati sunt ; at posteà ab omnibus approbatum fuit Concilium V. et damnata sunt tria capitula, sive

1°. libri et ipsa persona Theodori Mopsuesteni, 2°. opera Theodoreti contrà S. Cyrillum, et 3°. Epistola Ibæ ad Marim. Eodem modo hæc facta dogmatica definivit, pro jure suo, Ecclesia, ac si de dogmate ipso definiendo actum fuisset.

Anno 529, habitum est Concilium Arausicanum (*d'Orange*) cui adfuerunt tantùm 13 Episcopi, præside S. Cæsario Arelatensi. Maximæ est in Ecclesiâ auctoritatis. De gratiâ et libero arbritrio condidit canones 25—Multa etiam circà disciplinam celebrata sunt Concilia particularia quæ enumerare longius esset.

II. *Rom. Pont.*—S. Hormisdas à 514 ad 523—S. Joannes I. à 523 ad 526—S. Felix IV. à 526 ad 530—Bonifacius II. à 530 ad 531; ei restitit Dioscorus Antipapa—Joannes II. à 532 ad 535. Agapetus I. mense uno—S. Sylverius à 536 ad 538. Sylverio in exilium misso ob defensionem Concilii Chalced. Vigilius Theodoræ Imperatrici numeratâ pecuniâ, contrà omnes æquitatis regulas, electus est, anno 537. Extincto tamen fame S. Sylverio in insulâ Palmariâ, canonicè electus successit Vigilius, qui posteà fidem Catholicam strenùè propugnavit, mutatus in alterum virum. Pelagius I. à 555 ad 560—Joannes III. à 560 ad 573—Benedictus I. à 573 ad 578—Pelagius II. à 578 ad 590—S. Gregorius I. cognomento Magnus à 590 ad 604, unus est è Doctoribus Ecclesiæ, quam sanctitate, miraculis, prudentiâ et eximiis scriptis illustravit. Anglos qui Australem insulæ Britanniæ partem occupabant, ad fidem convertit, misso illùc Augustino aliisque Monachis, anno 596.

III. *Script. Eccles*—Anastasius Sinaïta Monachus, doctè contrà Acephalos scripsit circà annum 569..S. Avitus Viennensis Archiep. vitæ sanctitate et doctrinâ celeberrimus, à quo Burgun-

diones Catholicam fidem acceperunt; præfuit Epaonensi Concilio, 517, et obiit 525—Boëtius, Romanus Consul, scripsit adversùs Eutychen et Nestorium et 5 libros de consolatione Philosophiæ; obiit 526—S. Cæsarius Arelatensis Archiep. anteà Lirinensis Abbas, fuit pietate et doctrinâ illustrissimus; obiit 542—Cassiodorus Consul Rom. anno 514, posteà Monasterium regens, multa scripsit—Dionysius exiguus staturâ, sed doctrinâ et sanctitate magnus, Abbas Romanus, primus omnium annos ab incarnatione Christi supputavit, dedit collectionem canonum Ecclesiasticorum et decretorum Pontificiorum à Siricio ad Anastasium II. scribebat anno 526—Evagrius, Syrus, dictus Scholasticus, Historiam Ecclesiasticam descripsit sex libris contentam, ab anno 431 ad 594—S. Fulgentius Africanus, Ruspensis Episc. scripsit adversùs Arianos et Semipelagianos: in Sardiniam insulam exul missus à Transimundo Rege Vandalorum, revocatus ab Hilderico, obiit 533—S. Gregorius Turonensis, in Avernâ natus, et institutus Turonensis Episcopus, texuit historiam Francorum libris 10, scripsit etiam de miraculis SS. Martyrum et Confessorum, obiit 595—S. Joannes, dictus Climacus, in Monasterio Montis Sinaï, scripsit librum *de Scalâ*, obiit 605—Julianus Pomerius, in Mauritaniâ natus, Arelatensis Presbyter, scripsit libros tres de vitâ contemplativâ—Vigilius Tapsensis in Africâ Episc. scripsit contrà Nestorium et Eutychem, et à quibusdam creditur auctor Symboli sub nomine S. Athanasii.

IV. S. Benedictus Italus in Eremum Sublacensem, deindè in Montem Cassinum secessit; scripsit regulam Monachorum, quorum caput et veluti Patriarcha in Occidente merito dicitur obiit Abbas anno 543: ex ejus familiâ prodierunt innumeri tùm Sancti, tùm Doctores, tùm Ponti-

fices---Clerici juniores in Seminariis instituebantur et veste distinctâ utebantur, tonsurâ etiam et coronâ à Laïcis distinguebantur---Monachi omnes et Moniales Episcoporum jurisdictioni subdebantur---Primis temporibus, Episcoporum electiones fiebant à Comprovincialibus Episcopis, Clero et Populo; non tamen eodem jure, nec eodem modo: *præcipuas partes* in his habebant Episcopi. Confirmatio Electi tunc fiebat à Metropolitano. Ex quo Principes facti sunt christiani maximam in ejusmodi electionibus autoritatem habuerunt.

V. *Principes*---In Oriente Anastasius, Zenonis Henotici defensor Catholicos oppugnare non destitit. Bulgari et Persæ imperii limitem pervasere---Justinus senior, religione pietateque præstans. Justinianus vir doctissimus sed virtutibus et vitiis variatus, belli ducem sagacissimum habuit Belisarium. Imperavit à 527 ad 565, plurima scripsit ad rem Ecclesiasticam spectantia. Sæviit adversùs Nestorianos et Eutychianos. In eam impegit hæresim, quæ Christi carnem, etiam antè resurrectionem, pati aut corrumpi potuisse, negabat. Scripsit de rebus civilibus, 1°. Institutiones libris quatuor editas, quæ sunt juris civilis rudimenta; 2°. Digesta seu Pandectas, id est, innumeras leges digestas; 3°. Codicem aliarum legum; 4°. Authenticas, seu multas novellas constitutiones promulgatas. Justiniano successit Justinus junior legum et justitiæ amans--Tiberius, lenitate et pietate commendabilis--Mauricius pius, sed fœdâ avaritiæ labe deformatus, occisus à Phocâ. In Occidente victo Odoacre, Italiam Theodoricus, Rex Ostrogothorum, obtinuit---Athalaricus---Theodatus---Vitiges---Tunc Belisarius à Justiniano missus capit Romam, quam posteà expugnavit Totila, victus posteà à Narsete qui Longobardos in Italiam excivit---In

Galliis, mortuo Clodovæo, quatuor ejus filii regnum Francorum inter se partiti sunt, et bella multa moverunt.

VI. *Novatores*—Quidam ex Acæmetis Monachis, id est, insomnibus, quià semper tertia pars eorum Dei laudes canebat, disputationis æstu contrà Monachos Scytas abrepti, asseruerunt unum de Trinitate non esse passum, et damnati sunt à Papâ Joanne III. anno 560—Defensores trium Capitulorum Facundus Hermianensis in Africâ Episcopus et Ferrandus Carthaginensis Diaconus, multa pertinaciter scripserunt contrà definitionem V. Concilii generalis. Obierunt circà 550—Jacobitæ à Jacobo Syro Eutychiano, qui auctor fuit Sectæ Armeniorum, verè omnium hæreseon sentinæ, anno 535, malè de Trinitate et de Christo sentiebant—Joannes Jejunator Constantinopolitanus Patriarcha, quamvis eximiæ abstinentiæ vir, labem sanctitati aspersit, per usurpatum *Patriarchæ Œcumenici* nomen anno 590—Origenistæ ab Origene, sive ipse scripserit errores, sive in ejus libros fuerint inserti; dicebant animas, antè suam cum corporibus unionem, subsistere et corporibus tanquam carcere includi, in pœnam præcedentium peccatorum; non semper duratura reproborum supplicia, &c. damnati sunt in V. Concilio. Jam Origenismus propagatus erat apud Monachos Nitrienses, tempore S. Epiphanii; apud Rufinum et Joannem Jerosolymitanum, tempore S. Hieronymi; apud Longos fratres et varios Monachos; jàm etiàm ab Anastasio Papâ fuerat damnatus—Scytæ Monachi, anno 518, graves tumultus excitaverunt, occasione hujus propositionis *unus de Trinitate crucifixus est*, quam ab omnibus profitendam esse contendebant, intelligentes divinitatem esse passam: dux erat Joannes Maxentius. Monachi isti ab Hormisdâ

SS. Pontifice damnati sunt—Tritheïtæ, te auctore Joanne Philopono ex Eutychianorum castris, tres in Deo naturas partiales et unam communem admittebant.

Synopsis Septimi Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM VI. Œcum. et III. Constantinopolitanum celebratum est anno 680, Agathone SS. Pontifice, qui per Legatos præfuit, et Constantino Pogonato imperante. Adfuerunt Episcopi 289. Monothelitarum errores damnaverunt—Anno 679, celebratum fuerat Romæ Concilium, quod unum spectari potest cum Generali.

Anno 692 habitum est Constantinop. Conc. *Trullanum*, seu *Quini-sextum* dictum, quasi appendix ad V. et VI. Synodos, de disciplinâ ; sed non fuit approbatum, maximè ob canones de continentiâ clericorum, in quibus carpebat disciplinam Occidentalis Ecclesiæ.

II. *Rom. Pont.*—Sabinianus à 604 ad 606—Bonifacius III. anno uno—S. Bonifacius IV. à 608 ad 615—S. Deus-dedit à 615 ad 618—Bonifacius V. à 618 ad 625—Honorius I. à 625 ad 638, scripsit ad Sergium Constantinopolitanum epistolas quæ ab omni purgantur hæresi. Damnatus est Honorius à VI. Concilio Œcum: sed ut hæreseos Monothelitarum, quam extinguere dedebat, fautor et protector, non verò ut reipsâ hæreticus—Severianus mensibus 2—Joannes IV. à 640 ad 642. *Ectesim* Heraclii Imperatoris, seu

expositionem Monothelismo faventem damnavit in Concilio Rom—Theodorus I. à 649 ad 655—Eugenius I à 655 ad 657—Vitalianus à 657 ad 672—S. Adeodatus à 672 ad 676—Domnus I. à 676 ad 678—S. Agatho à 678 ad 682--S Leo II. anno uno—S. Benedictus II. mensibus 8. S. Joannes V. anno uno—Conon anno uno—S. Sergius I. à 687 ad 701, ei restitit Paschalis Antipapa.

III. *Script. Eccles*--S. Andreas Cretensis Episc. anteà Monachus Jerosol. strenuè adversùs Monothelitas pugnavit, obiit 720—Beda venerabilis summam doctrinæ et pietatis famam reliquit, ebiit 735..S. Ildephonsus Toletanus Episc. Beatæ Dei-paræ laudes, præcipuèque virginitatem celebravit, obiit 667..Joannes Moschus auctor Prati spiritualis fertur..S. Eligius Lemovix Aurifaber, posteà Noviomensis Episc. conciones et homilias ad populum habuit, quarum aliquæ supersunt, obiit circà 660..S. Isidorus Hispanus, Hispalensis Episc. Ecclesiæ decus, obiit 636..S. Maximus Abbas et Martyr celeberrimam habuit disputationem cum Pyrrho Monothelitâ Expatriarchâ Constantinopolitano; post manûs et linguæ abcissionem in exilio, obiit 662..S. Sophronius Jerosol. Episc. acerrimus Monothelitarum impugnator, obiit 638---Venantius Fortunatus, Italus, Episc. Pictaviensis, ob eximiam Rhetoricæ ac Poëtices scientiam celebris, obiit 609.

IV. Nihil speciale occurrit de Societatibus dicendum.

V. *Principes*---In Oriente Phocas—Heraclius, quo regnante Chosroës, Persarum Rex, irruit in Imperium, et multos, solem adorare nolentes, occidit..Anno 614, capta fuit à Persis Jerosolyma, et S. Crux in Persidem transportata. At anno 628, eam à Siroë obtinet transfertque solemniter He-

raclius, qui Monothelitis favit, viditque imperium Syriâ, Palestinâ et Ægypto imminutum, obiit 641—Constans, qui fuit Monothelita, in Catholicos sæviit—Constantinus Pogonatus, seu Barbatus, Ecclesiæ favebat---Justinianus II—Leonitus. In Occidente dominabantur Ravennæ Exarchæ, seu Præfecti Græci, per annos 185—Franci in Galliis, Catholicœ fidei addictissimi—Longobardi in Italiâ per 206 annos, Gothi in Hispaniâ, sed Ariano veneno imbuti.

VI *Novatores.*—Monothelitæ unicam in Christo voluntatem agnoscebant, auctorem habuerunt Athanasium Jacobitarum Patriarcham, et præcipuos duces Sergium Constantinopolitanum, Cyrum Alexandrinum, Macharium Antiochenum Patriarchas, Pyrrum et Paulum Sergii successores et Theodorum Pharanitanum---Mahumetani à Mahumete seu Muhammede, qui exitialem condidit sectam ex omnium societatum colluvie, novum fabricatus est monstrum quod descripsit in Alcorano, in 124 azoaras seu capita diviso. Doctrinam suam artibus, voluptatum illecebris, et armorum vi promulgavit. Anno 622, ex Arabiâ fugit cum prædonibus Arabibus, qui dicti sunt Saraceni, et paulatim vastissimas regiones occupavere.

Synopsis octavi Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM VII. Œcum. Nicenum II. celebratum est anno 787. Adriano I Papâ, præside per Legatos, Imperantibus Constantino et Irene matre ejus. Interfuerunt 360 Episc. Orien-

tales, qui definierunt usum sacrarum imaginum retinendum, earumque cultum pium esse ac licitum..Impugnata fuit Syndus VII. generalis à Concilio Francofordiensi celebrato anno 794, cui præfuerunt Legati Adriani I. Papæ, et cui interfuerunt plusquam 100 Episcopi Occidentales. At 1°. nondùm ubique constabat VII. Concilii œcumenicitas: 2°. Patres Francofordienses decepti sunt mero errore facti, ex parùm fideli actorum illius Concilii in linguam latinam versione, existimarunt cultum latriæ, soli Deo debitum, sacris imaginibus fuisse concessum à Concilio Nicæno. In Concilio Francof. damnati sunt etiam Felix et Elipandus.

II. *Rom. Pont.*..Joannes VI. à 701 ad 705.. Joan. VII. à 705 ad 707..Sisinnius diebus 20.. Constantinus à 708 ad 715..S. Greg. II. à 715 ad 731..S. Greg. III. à 731 ad 741..S. Zacharias à 741 ad 752..Stephanus II. diebus 4.. Stephanus III. à 752 ad 757..Hic Pipinum Regem Galliæ inauguravit in Basilicâ S. Dionysii propè Parisios—Paulus I. Stephani III. frater à 757 ad 767. Ei restitit Theophylactus Antipapa—Stephanus IV—Adrianus I. meritissimus Pontifex, annis 23—Leo III. à 795 ad 816. Missas aliquandò novem eodem die celebrasse refertur.

III. *Scriptores Eccles*...Alcuinus Anglus, Diaconus Eboracensis (*York*) à Carolo magno vocatus, in Galliam venit et floruit usque ad 804, quo Turonibus obiit. Auctor librorum Carolinorum jussu Caroli magni scriptorum ignoratur—S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, ab impio Leone Isaurico Iconoclastâ è sede suâ pulsus, obiit 730 circiter. S. Joannes Damascenus pro cultu S. Imaginum strenuè decertavit contrà Imperatores Leonem Isauricum, Constantinum

Copronimum et alios Iconoclastas; multa scripsit contrà Nestorianos et Eutychianos, obiit circà 780.

IV. Concedi cœperunt Monasteriis quædam privilegia, quibus ab Episcoporum Jurisdictione solverentur—Disciplinæ Ecclesiasticæ et Monasticæ restaurandæ invigilabant Episcopi et Principes.

V. *Principes*—In Oriente, Justiniano II. crudeli occiso, successit Philippicus, deindè Anastasius Catholicarum partium fautor—Theodosius Leo Isauricus, qui Saracenos repulit; at sacris imaginibus bellum indixit—Copronimus, à *stercore* dictus, fervidus Iconoclasta—Leo. Constantinus. Constantius et Irenes, pristinam cum imaginum cultu revocant pietatem—In Occidente, Carolo Martello Francorum Principi, à quo unâ die Saracenorum 375,000 cæsa sunt, succedit Pipinus Brevis, qui Childerico ob inertiam exauctorato, Francorum Regis titulum accepit. Stephanum III. incredibili excepit honore, multarumque urbium à Longobardis ereptarum, dominium tradidit—Ei succedit Carolus magnus, armis invictus, doctrinarum studiis excultus, de Religione benè meritus; Desiderium, ultimum Longobardorum Regem deposuit. S. Sedem beneficiis cumulavit: anno 800, à Leone III. et à Romanis Romanorum Imperator salutatur.

VI. *Novatores*. Felix Urgellitanus Episc. cum Elipando Toletano Episcopo, propugnavit Christum, ut hominem, esse filium Dei adoptivum; hic error Nestorianismum renovabat. Pluries damnatus et relapsus, Lugdunum relegatus, obiit. Iconoclastæ sive Iconomachi, id est, sacrarum imaginum fractores et hostes infensi, auctore Leone Isaurico Imperatore, qui, Judæi alicujus consilio, ferale contrà imagines edictum dedit anno 730.

Synopsis noni Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM VIII. Œcum. Constantinopolitanum IV. ultimum in Oriente celebratum anno 869, sub Adriane II. præside per Legatos, Imperante in Oriente Basilio. Adfuerunt 102 Episc. Ignatius, à Photio è sede Constantinopolitanâ injustè expulsus, restitutus est. Photius verò, qui Patriarchatum Constantinopolitanum invaserat, depositus et excommunicatus fuit.

Plurima habita sunt comitia Imperii occidentalis in quibus. de consensu Episcoporum, edita sunt Capitularia Regum circà disciplinam Ecclesiasticam—Plurima etiam de causâ Gothescalci habita sunt Concilia particularia, quæ enumerare non sinit nobis imposita brevitas.

II. *Rom Pont.*—Stephanus V. anno uno---Paschalis I. (Papa 100) à 817 ad 824---Eugenius II. à 824 ad 827, ei restitit Zinzinus Antipapa—Valentinus, diebus 40—Greg. IV. à 827 ad 844.. Sergius II. à 844 ad 847---S. Leo IV. à 847 ad 855..Hic circiter affingitur fabula *de Joannâ Papissâ* quæ ab omnibus Eruditis, Protestantibus etiam, rejicitur..Benedictus III. à 855 ad 858, ei restitit Anastasius Antipapa..S. Nicolaüs I. à 858 ad 867..Adrianus II. à 867 ad 872..Joannes VIII. à 872 ad 882..Martinus II. vel Marinus à 882 ad 884..Adrianus III. anno uno--Stephanus VI. à 885 ad 891---Formosus à 891 ad 896; hujus Papæ cadaver è sepulcro extractum. Pontificalibus exutum vestibus, ac digitis mutilatum, in Tiberim projecit Stephanus VII. ejus successor; quia ex Portuensi ad Romanam

sedem transierat. At, Deo vindice, ipse sede pulsus, in carcere strangulatus est anno 897—Romanus quinque mensibus—Theodorus II. diebus 20—Joannes IX. à 898 ad 900, ei restitit Antipapa Sergius.

III. *Script. Eccles*—S. Ado Abbas Prumensis in Diœcesi Trevirensi, et Episcopus Viennensis, scripsit præsertim Martyrologium et Chronicon ab orbe condito ad 875 Christi annum, obiit circà 880—Amalarius Fortunatus Trevirensis Episc. de sacro baptismate edidit librum anno 818—Amalarius Lugdunensis Chorepiscopus scripsit de præscientiâ et prædestinatione—Anastasius Bibliothecarius Abbas, multa collegit acta contrà Monothelitas. Alia etiam scripsit, obiit circà annum 880—Florus Diaconus Lugdunensis cum præclarâ eruditione scripsit nomine Ecclesiæ Lugd. de prædestinatione, et contrà Scotum Erigenam, obiit 860—Hincmarus Rhemensis Episcopus in pluribus Conciliis contrà Gothescalcum primas partes habuit et multa scripsit. Incurrit in odium Nicolaï I. occasione Rothadi Suessionensis Episcopi depositi. Alias habuit contentiones respectu Ebbonis, et Hincmari Laudunensis, obiit 882—Jonas Aurelianensis Episcopus scripsit eximium Apologeticum contrà Claudium Taurinensem Episc. Iconoclastam, obiit 843—Paschasius Radbertus Gallus, Corbeïensis Abbas, copiosè scripsit de veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistiâ, secundùm antiquam et constantem Ecclesiæ fidem, obiit 865—Rabanus Maurus Abbas Fuldensis et Episc. Moguntinus, piissimus et doctissimus, præsentem Gothescalcum confutavit, et in variis opusculis ejus errores oppugnavit, obiit 856—Ratramnus aut Bertramus, Corbeïensis Monachus, posteà Abbas Orbacensis, scripsit librum de corpore et sanguine Domini

adversùs Paschasium Radbertum; sed in eo non negat præsentiam realem corporis Christi in Eucharistiâ: errore facti, cum quibusdam, personæ Gothescalci favit, non erroribus, obiit 870—S. Remigius Lugd. Episc. Amolonis successor præfuit Conciliis in causâ Gothescalci: quidam credunt, jure aut immeritò, eum scripsisse contrà capitula Carisiaca, quibus confirmatur damnatio Gothescalci, obiit 873—Theodulphus Italus, Abbas Floriacensis et Episc. Aurelianensis, Carolo magno, ob pietatem et eruditionem, familiaris. Conjurationis adversùs Ludovicum pium injustè accusatus, in Monasterium Andegavense detrusus fuit, obiit 820—Usuardus Benedictinus Monachus scripsit Martyrologium in Ecclesiâ Romanâ probatum, obiit circà 880.

IV. Omnes Galliarum Monachi addicti erant regulæ S. Benedicti: operibus manuum et scientiarum studio incumbebant, multorum à strictâ observantiâ ad molliorem deficientium reformationem curarunt Principes, agente S. Benedicto Anianensi anno 805---Sæpè Principes Abbatias Clericis commendarunt, ut eas administrarent; hinc dicti sunt *Abbates Commendatarii*, quibus assignata est pars proventuum Beneficii—Canonici, regulæ et vitæ communi subditi fuerunt; at seculo 10 ab eâ deficere cœperunt. Archiepiscopi Rhemensis, Bituricensis et Senonensis aliquem in aliquos alios Episcopos primatum tunc acquisierunt.

V. *Principes*—In Oriente Nicephorus Manichæus et incantator—Michaël Curopalates, optimus Princeps—Leo Armenus in sacras imagines et in Catholicos omni atrocitate sæviit—Michaël Balbus Catholicum nomen omne proscripsit—Theophilus paternæ impietatis æmulus—Michaël Pius cum Theodorâ matre religiosâ fœminâ,

quidquid eâ de re Protestantes effutiant—Ab anno 909 ad 927, celebrata sunt quatuor Concilia Trosleïana in Diœcesi Suessionensi quæ in antiquâ fide perseverarunt.

II. *Rom. Pont*—Benedictus IV. mensibus 4—Leo V. mensibus 2—Christophorus invasor, Leonem carceri tradiderat et ipse carceri traditus post 6 menses—Hìc notandum sedem Apostolicam fuisse dedecoratam à pluribus malæ famæ et intrusis auctoritate duarum impudicarum mulierum, Theodoræ et Maroziæ: at id nihil sanè nocet sanctissimæ dignitati semper colendæ: invigilante Deo, impii Pontifices nihil definierunt—Sergius III. à 904 ad 911—Anastasius III. à 911 ad 913—Lando mensibus 6—Joan. X. à 914 ad 928—Leo VI. mensibus 8—Stephanus VIII. à 929 ad 931—Joan XI. ætatis 20 electus, à 931 ad 936—Leo VII. à 936 ad 939—Stephanus IX. à 939 ad 942—Martinus III. à 942 ad 946—S. Agapetus II. à 946 ad 956—Joan XII. anteà *Octavianus*, omnium primus in suâ consecratione nomen mutavit, ætatis 18 electus, à 956 ad 964—Leo VIII. laïcus electus, contrà canones ordinatus, posteà depositus—Benedictus V. anno uno—Joan. XIII. à 965 ad 972—Benedictus VI. à 972 ad 974—Domnus II. mensibus 3—Benedictus VII. à 974 ad 984, ei restitit Bonifacius VII—Joan. XIV. anno uno—Joan. XV. non consecratus----Joan. XVI. à 985 ad 996—Greg. V. Othonis Imperatoris consanguineus, anteà *Bruno*; Electores imperii 7 instituisse creditur. Ei restitit Joan. XVI. Antipapa—Sylvester II. Gallus, anteà *Gerbertus*, humili genere natus, Roberti Regis Francorum præceptor, Episcopus Rhemensis, Ravennatensis, et Romanus à 999 ad 1003.

III. *Script. Eccles*---Plures quidem fuerunt, at non insignis famæ, nec plura de rebus Ecclesiasticis scripta reliquerunt,

dit. Godefridus Bullionius anno 1096 profectus, post infinitos labores anno 1099, Jerosolymam expugnavit et Rex primus electus est, expulitque Saracenos—Convocata sunt contrà Berengarium 10 Concilia, quatuor Romæ sub Leone IX. Nicolao II. et Greg. VII. alia Vercellis, Florentiæ, Parisiis, Turonis, Rothomagi et Pictavii.

II. *Rom. Pont.*—Joan. XVII mensibus 5—Joan. XVIII. à 1003 ad 1009—Sergius IV. à 1009 ad 1012—Benedictus VIII. à 1012 ad 1024, ei restitit Greg. Antipapa—Joan. XIX. frater Benedicti VIII. à 1024 ad 1033—Benedictus IX. (Papa 150) à 1033 ad 1044, ei restitit Antipapa Sylvester III—Greg. VI. malæ famæ, sicut Benedict. IX—Clemens II. anno uno—Damasus II. diebus 23—S. Leo IX. anteà Tullensis Episc. vir doctissimus, annis 5—Victor II. à 1055 ad 1057—Steph. X. anno uno—Nicolaüs II. à 1058 ad 1061—Alexander II. à 1061 ad 1073, ei restitit Antipapa Honorius II. nomine Cadalous—S. Greg. VII. à 1073 ad 1085, ei restitit Antipapa Clemens III. Guitbertus—Victor III. anno uno—Urbanus II. *Eudo*, Gallus, Rhemensis, à 1088 ad 1099—Paschalis II. Cluniacensis, à 1099 ad 1118, ei restiterunt Antipapæ Albertus, Theodoricus Maginulphus, et Bordinus Lemovicensis.

III *Script. Eccles.*—S. Anselmus Benedictinus, Episc. Cantuariensis in Angliâ, multa et eximia scripsit, obiit 1109—Œcumenius Græcus, novi Testamenti dilucidas et concisas dedit explicationes—S. Fulbertus Carnotensis Episc. liberalibus artibus valdè excultus, devotione ergà B. Virg. insignis, obiit 1029—Lanfrancus Italus, Abbas Cadomensis, et Cantuariensis Episc. accerrimè disputavit contrà Berengarium, eumque ità convicit, ut librum suum in ignem projecerit, obiit 1089—S. Petrus Damiani Episc. Ostiensis et Cardinalis, præcla-

ram virtutis et doctrinæ et zeli pro Cleri reformatione famam consecutus, obiit 1072—Laudantur chronica Gemblacensia in Diœcesi Namurcensi.

IV. Ordo Camaldulensium Eremitarum simul et Cœnobitarum sub regulâ S. Benedicti à S. Romualdo institutus, in vertice Montis Apennini, obiit S. Romualdus 1027—Ordo Grandimontensis in agro Lemovicensi anno 1076, institutus à S. Stephano Mureti—Sacrum Carthusianorum ordinem instituit S. Bruno, doctrinæ et sanctitatis laude insignis anno 1089, adjuvante S. Hugone Episc. Gratianopolitano—Cisterciensis Ordo ortum habuit in Burgundiâ anno 1098, à Roberto Molismensi Abbate. Quatuor primas habuit filias seu Congregationes, *Firmitatem*, *Pontiniacam*, *Claravallensem* et *Morimundum*; vim Cœlo simul intulerunt—Canonicorum regularium ordo à S. Aug. adumbratus, idemtidem formatus, hoc seculo restitutus est, et deinceps in plures divisus Congregationes. Episcopi et Presbyteri non ordinabantur nisi post 30 annum—Resignationes in favorem adhuc erant incognitæ. Ignorabatur pluralitas beneficiorum, residendi lege omnes adstringebantur--Episcopo Lugdunensis confirmata est à Greg. VII. Primatûs jurisdictio in Provincias Turonensem, Senonensem, Lugdunensem, imò et Rothomagensem.

V. *Principes*—In Oriente Michaël Paphlago—Michaël Calæphatus—Constantinus Monomachus, quo imperante Normanni Apuliam obtinent, et Turcæ Persidem occupant—Michaël Stratioticus—Isaac Comnenus anno 1057—Alexius Comnenus, qui fraudulenter, perfidiosè et iniquè se gessit ergà Francos in Palæstinam properantes anno 1096—In Occidente Conradus—Henricus III. Henricus IV. qui à 1056, imperavit per 47 annos, magno Christianæ rei damno; perpetuo quippè dissidio à Romano Pontifice divulsus est, eò quod Episcopis

et Abbatibus, sæpè pretio dato, investituram tribuere præsumebat. Ipsi obstitit fortiter præcipuè Greg. VII. anteà *Hildebrandus*—In Galliâ Henricus I—Philippus I—Guillelmus, vulgò *le Conquérant*, in Angliam transiit 1066.

VI. *Novatores*—Berengarius Turonensis, Archidiaconus Andegavensis, impiè docuit, anno 1048, Corpus Christi non esse realiter præsens in Eucharistiâ. Decem Concilia adversùs illum Hæresiarcham, ad vomitum sæpius revertentem post ejuratam hæresim, congregata sunt ab anno 1050 ad 1075. Tandem Catholicus et pœnitens obiisse creditur 1088—Novi Manichæi Aurelianis exorti, ignibus devoti sunt initio hujus seculi—Deplorandum schisma Græcorum, à Photio inceptum an. 860, erupit apertè, cum imperante Constantino Monomacho, Michaël Cærularius, Patriarcha Constantinopolitanus, Romanam Ecclesiam calumniosis oppugnavit scriptis anno 1053. Tentata fuit sæpè eorum unio et aliquando obtenta, sed brevi posteà iterùm scissa: schismati hæreses addiderunt, negando Spiritum Sanctum procedere à Filio, et Romanum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ Catholicæ.

Synopsis duodecimi Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM IX. Œcumenicum, Lateranense primum, hoc est Romæ in Basilicâ Lateranensi celebratum anno 1123, præsente et præside Callixto II. Adfuerunt 300 Episc. et 600 Abbates imperante Henrico V. Regnante in Galliis Ludovico Crasso. Convocatum est pro tollendâ sacer-

dotii et imperii discordiâ, ob usurpatum à Principibus Laïcis jus beneficiorum investituras concedendi et pro ineundo bello sacro, vel in Palestinâ, vel in Hispaniâ contrà Saracenos—Investitura est jus quod Imperatores et Reges, electis ad Abbatiam vel Episcopatum, ad possidenda bona Ecclesiastica, dare contendebant, solemni ritu, *v. g.* traditione annuli et baculi pastoralis—Anno 1119. Calixtus II. in Concilio Rhemensi, in quo erant plusquam 215 Episcopi, jàm investituras damnaverat; at solemniter in Lateranensi reprobatæ sunt.

Concilium X. Œcum, Lateran. II. celebratum est anno 1139, præsente et præside Innocentio II. Papâ. Adfuerunt mille circiter Episcopi. Imperante Conrado III. regante Ludov. VII. In eo damnatum fuit schisma Petri Leonis, proscripti errores Petrobusianorum et Arnaldistarum, restituta Ecclesiæ disciplina.

Concilium XI. Œcum. Lateran. anno 1179. Imperante Friderico I. regnante Ludov. VII. præside Alexandro III. Adfuerunt 302 Episc. Convocatum fuit ad damnandos errores Valdensium et Albigensium, ad reformandos mores, simoniâ, usurâ, aliisque vitiis depravatos; et ut media ad schisma deinceps vitandum quærerentur. Canone 5 Episcopus adstringitur ad sustentationem Presbyteri vel Diaconi quem absque titulo ordinaverit, donec ei in aliquâ Ecclesiâ beneficium contulerit, nisi sufficiens patrimonium habeat Clericus. Hoc patrimonialium titulorum initium.

II. *Rom. Pont.*—Gelasius II. anno uno—Callixtus II. Gallus, Burgundus, *Gui*, Viennensis Archiep. à 1113 ad 1124—Honorius II. à 1124 ad 1130—Innocentius II. à 1130 ad 1143, ei restiterunt Antipapæ Anacletus anteà Petrus Leonensis, Monachus Cluniacensis, et Victor. Celestinus II. mensibus 5—Lucius II. mensibus 11. Eugenius III.

369415A

S. Bernardi discipulus, à 1145 ad 1153—Anastasius III. anno uno—Adrianus IV. Anglus, à 1154 ad 1159—Alex. III. à 1159 ad 1181, ei restitit Antipapa Victor II. sive Octavianus, auctoritate Frederici electus—Lucius III. à 1181 ad 1185—Urbanus III. à 1185 ad 1187. Greg. VIII. mensibus 2—Clemens III. à 1187 ad 1191—Celestinus III. à 1191 ad 1198—Innoc. III. electus anno ætatis 30, à 1198 ad 1216.

III. *Script. Eccles.*—S. Bernardus Burgundus, Claravallensis Abbas, fuit seculi sui singulare decus, Paparum, Episcoporum, Regum, Principum, doctrinâ, sanctitate, miraculis, quasi magister et oraculum; Hæreticorum Abælardi, Petri Brusii et Henrici, quasi flagellum. Post fundata 160 Monasteria, obiit *Doctor Mellifluus* anno 1153—Burchardus Benedictinus, Abbas Lobiensis et Vormaticensis Episcopus, magnum canonum volumen edidit—Georgius Cedrenus Monachus compendium historiarum scripsit—Honorius Augustodunensis Presbyter scripsit seriem Paparum, et hæreseon catalogum, obiit circà 1155—Hugo Victorinus, Canonicus regularis, multa scripsit, obiit 1140—Odo Cameracensis opuscula reliquit, obiit circà 1158—Otho Frisingensis Episc. Conradi Imperatoris frater, Abbas Morimundensis, scripsit Chronicorum libros, obiit circà 1158—Petrus Lombardus Episc. Parisiensis edidit librum continentem sententias SS. Patrum, cujus plusquàm 240 fuerunt commentatores, obiit 1164—Petrus, Cantor Ecclesiæ Parisiensis, multa scripsit, obiit circà 1190—Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacensis, obiit circà 1156—Petrus Blesensis, Londinensis Archidiaconus, piè et doctè scripsit, obiit circà 1200—Mauritius de Soliaco ad Ligerim, Episcopus Parisiensis, Cathedralem Ecclesiam Dei-paræ Virgini sacram, à fundamentis erexit, obiit 1196—Richardus Victorinus, Canoni-

cus regularis, eruditione et doctrinâ conspicuus, scripsit præcipuè de asceticis, obiit 1177—Rupertus Abbas Tuitiensis propè Coloniam, multa scripsit, obiit 1135—Theophylactus Græcus, Bulgariæ Metropolitanus, commentaria dedit in Epistolas S. Pauli—Theodorus Balzamon Græcus commentaria insignia in Canones edidit—Yvo Carnotensis Episc. plura egregiè scripsit, dedit canonum collectionem, obiit 1115.

Gratianus Italus Benedictinus per multos annos desudavit in colligendis variis, tùm Conciliorum generalium et particularium decretis, tùm SS. Pontificum oraculis, tùm Sanctorum Patrum dictis; quæ omnia in unum redacta inscripsit *Concordia discordantium Canonum* anno 1151. Opus hoc appellatur *Decretum Gratiani*, seu *jus canonicum novum*. 1a. Pars agit *de personis ecclesiasticis*, et continet 101 distinctiones. 2a. De *actionibus*, et complectitur 36 causas judiciorum ecclesiasticorum. 3a. Agit *de rebus sacris*, et inscribitur *de Consecratione*. Distinctiones 5 continet. Decreto adjunguntur in jure canonico, 1°. Libri 5 decretalium, Gregorii IX. jussu collectarum. 2°. Liber 6us decretalium à Bonifacio VIII. promulgatus. 3°. Clementinæ seu Clementis V. constitutiones à Joanne XXII. promulgatæ. Sunt etiam *Extravagantes*, sive constitutiones plurimorum Pontificum, quæ *vagantur* extrà corpus juris canonici: at notandum jus illud canonicum in Galliis, quoad omnia, non observari.

IV. Ordo Fontis Eberaldi, *Fontevrault*, anno 1100, institutus est à Roberto de Arbricello qui, zelo salutis animarum insignis, iniquas passus est calumnias, obiit 1117. Voluit Ordinis sui Viros obsequi totius ordinis Abbatissæ, ad imitandum dilectum discipulum qui Beatæ Virgini obsequium præstitit—Ordo Carmelitarum initium, aut restitu-

tionem, accepit in Monte Carmelo anno 1105 à Bertoldo; anno 1209, regulam accepit ab Alberto Jerosolym. Patriarchâ. Metu Saracenorum in Europam migravit circà 1250, utriusque Testamenti virtutes ambit colere—Ordo Præmonstratensis cœpit anno 1120, à S. Norberto Magdeburgensi Episcopo, ad perfectè mundo et sibi renuntiandum—Templarii, sic dicti qui habitabant juxtà Templum Jerosol. Anno 1118 instituti sunt in militiæ religiosæ professione, ut peregrinos ad sacra loca pergentes, tutos facerent à prædonibus, sicariis et Saracenis—Hospitalarii Equites religiosi ortum habuerunt à Gerardo viro nobili et pio, ut pauperibus et infirmis in sanctâ Civitate ministrarent. Deindè ad terræ sanctæ defensionem, appositi sunt. Jerosolymâ captâ à Saladino, Ptolemaidam se contulerunt, deinceps Rhodium, tandem Melitam: undè nunc Equites Melitenses dicuntur.

V. *Principes*—In Oriente Joannes Comnenus ergà Beatam Virginem piissimus—Manuel—Alexius II—Isaac Angelus. Anno 1204 fœderati Principes Latini Constantinopolim expugnant et Imperatorem constituunt Balduinum Flandrensem, deindè Henricum—Petrum de Courtenay—Robertum—Balduinum II. qui amisit Imperium anno 1261—Reges Jerusalem fuerunt ab anno 1099, Godofridus de Bullione, obiit 1100—Balduinus I.—Balduinus II—Fulco Comes Andegavensis et Melizendis—Balduinus III—Amaurius I—Balduinus IV—Balduinus V. Guido de Lusignano et Sibilla. Anno 1187 Jerosolyma capta fuit à Saladino—Amaurius II—Joannes de Briennâ usque ad 1226—In Occidente Henricus V. qui violentum in sedem Romanam patris animum fortè superavit, Bordinum Antipapam creavit—Lotharius Saxo pius—Conradus III. qui hortante S. Bernardo, Jerosolymam profectus est cum Ludovico VII. Franciæ

Rege, anno 1147, at Græcorum fraude vexati, nullo operæ pretio facto, ambo redierunt—Fredericus I. Ænobarbus, *Barberousse*, pertinaci in Romanos Pontifices odio famosus; adversùs Saracenos pugnaturus, petit Palæstinam et Tarsi extinguitur 1190—Henricus VI. anno 1191, Philippus Augustus Francorum Rex cum Richardo Anglorum Rege, pervenit in Terram Sanctam; verùm, ortâ discordiâ, ambo redeunt.

VI. *Novatores*—Abælardus Nannetensis, Theologiam Parisiis docuit. Castitas ejus et fides triste naufragium passæ sunt; castitas quidem, dum Heloissam virginem, Fulberti Canonici Parisiensis neptem, quam in discipulam acceperat, defloravit; fides autem, dum de Trinitate et de Christo perversè sensit. A S. Bernardo convictus, in Concilio Senonensi anno 1140 damnatus est, obiit 1142, feliciter pœnitens et Monachus Cluniacensis—Arnaldistæ ab Arnaldo Brixiensi, Abælardi discipulo, de Eucharistiâ et baptismo parvulorum pravè loquebantur—Bogomili, id est, Implorantes, Bulgari, erant veri Manichæi, duce Basilio medico, rebaptisabant, damnabant matrimonium, imagines, &c. Dicti sunt etiam Pauliciani—Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus in Conciliis Rhemensi et Parisiensi, damnatus est, præside Eugenio III. anno 1148. Dicebat divinitatem non esse Deum, &c. Urgente S. Bernardo suos revocavit errores—Henriciani à quodam Henrico Tolosano, dicebant Missæ sacrificium nihil esse, preces pro defunctis nihil prodesse, baptisma parvulis esse inutile, &c—Joachimus Abbas quoad quasdam circà Trinitatem opiniones, à Concilio Lateranensi IV. damnatus est—Petrobrusiani à Petro de Bruzio Occitano, idem cum Henricianis docebant—Valdenses sive pauperes de Lugduno, à Petro Valdo Delphinate et Lugdunensi mercatore, dicebant ministros Eccle-

siæ non posse sine peccato bona propria possidere, omnem potestatem, solo peccato mortali deperdi, nullam orationem, præter *Pater noster*, *&c.* esse fundendam. Dicti sunt etiam Leonenses, Poplicani, Ribaldi, Insabathathi, &c.

Synopsis decimi-tertii Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM XII. Œcum. Lateran. IV. et magnum, anno 1215, celebratum est ab Innoc. III. præside. Adfuerunt 412 Episc. Imperante Friderico II. et regnante Philippo Augusto; pro recuperandâ Terrâ sanctâ, concessæ sunt indulgentiæ uberes, damnati sunt errores Albigensium et Abbatis Joachimi. In eo editus est celeberrimus canon *Omnis utriusque sexûs*, *&c* de confessione proprio parocho faciendâ.

Concilium XIII. Œcumen. Lugdunense primum, imperante Friderico II. regnante S. Ludovico, præsente Balduino Imperatore Constantinopolitano, præside Innocentio IV. anno 1245. Adfuerunt 140 Episcopi, celebratum fuit contrà Fredericum II. Imperatorem, quem Innocentius deponere tentavit. Convocatum etiam fuit pro decernendâ expeditione sacrâ et reformandis Cleri et populi pravis moribus. Rubri pilei insigne Cardinalibus ibi datum creditur.

Concilium XIV. Œcumen. Lugdunense II. anno 1274, imperante Rodolpho, regnante Philippo Audaci, præside Gregorio X. aderant 500 Epis et innumeri inferiores Prælati. Celebratum fuit ad unionem Græcorum cum Ecclesiâ Catholicâ procurandam, ad correctionem morum, ad celeriorem Paparum electionem promovendam,

II. *Rom. Pont.*—Honorius III. à 1216 ad 1227—Gregorius IX. à 1227 ad 1241—Celestinus IV. diebus 17—Innoc. IV. à 1243 ad 1254—Alexander IV. à 1254 ad 1261—Urbanus IV, Gallus, à 1261 ad 1264—Anniversarium *Corporis Domini* sacrum instituit diem; Carolum Andegavensium Comitem S. Ludovici Germanum, Siciliæ Regem instituit—Clemens IV. Gallus, Episcopus Anicienſis, posteà Narbonensis, à 1265 ad 1268—Gregorius X. Canonicus et Comes Lugdun. à 1271 ad 1276—Innocentius V. Dominicanus, mensibus 5—Adrianus V. non consecratus—Joannes XXI. mensibus 8—Nicolaüs III. à 1277 ad 1280—Martinus IV. Gallus, à 1281 ad 1285—Honorius IV. à 1285 ad 1287—Nicolaüs IV. Franciscanus, à 1287 ad 1292—S. Celestinus Solitarius, humili loco natus, post menses 5 abdicavit—Bonifacius VIII. Gaëtanus, Canonicus Lugdunensis, Papa, à 1294 ad 1304, inter eum et Philippum pulchrum maximæ exarserunt dissentiones.

III. *Script. Eccles.*—Albertus Magnus Dominicanus, Episc. Ratisbonensis, obiit 1282, cujus opera 21 tomis in folio typis edita sunt—Alexander Halensis Anglus, Franciscanus, cujus adhuc superest summa Theologica, obiit 1245—S. Antonius Patavinus Franciscanus, scriptis sermonibus et miraculis multos ad fidem et bonos mores convertit, obiit 1231—S. Bonaventura Italus, Minorita, Doctor Parisiensis, Episcopus Albanensis et Cardinalis, interfuit Concilio Lugd. II. ibique obiit 1274—Morum suavitate fuit Deo hominibusque amabilis. Multa opera scripsit menti illustrandæ et cordi ad pietatem accendendo idonea—Hugo à S. Charo, Dominicanus Cardinalis, excogitavit concordias bibliorum magnæ utilitatis, obiit 1262—Henricus Gandavensis, Doctor Parisiensis, scripsit Quodlibeta Theologica, obiit 1293. Petrus Aureolus

Franciscanus, *Doctor facundus* appellatus, multa scripsit, obiit 1320—Petrus Valli Cernaï, Cisterciensis, scripsit Albigensium historiam—Petrus de Tarentesiâ Dominicanus, Archiep. Lugd. Card. et Papa Innocentius V. scripsit in Epistolas Pauli et edidit Compendium Theologicum, obiit 1276—Raymundus de Pegnaforti, Prædicator, edidit Summam de casibus conscientiæ anno 1275—Richardus Middleton seu de Mediavillâ, Anglus, *Doctor solidus*, multa scripsit—Robertus de Sorbonâ, S. Ludovici familiaris, Collegii Sorbonici fundamenta jecit 1253, obiit 1272—S. Thomas Aquinas Dominicanus, Doctor Parisiensis *Angelicus* dictus. Nota est ejus eruditio, subtilitas, fœcunditas ingenii, cum sanctitate, castitate et modestiâ. Vocatus ad Concil. Lugd. à Greg. X. obiit 1274—Vincentius Bellovacensis, Prædicator, multa scripsit S. Ludovico regnante—Zonaras Græcus, aulâ relictâ, Basilianus factus est Monachus, et multos edidit tractatus et annales, obiit circà 1220.

IV. Ordo Trinitariorum seu Mathurinorum, pro Redemptione Captivorum, institutus circà 1198, à S. Joanne de Mathâ qui obiit 1213, et S. Felice Valesio qui obiit 1212—Ordo de Mercede Captivorum à S. Petro Nolasco Occitano, cœpit 1218, obiit fundator 1256—Ordinem Fratrum Minorum S. Franciscus Assisius fundavit circà 1208, obiit 1226, sat nota est sacra ejus familia—S. Dominicus Hispanus auctor fuit Ordinis Fratrum Prædicatorum anno 1216 approbati ; multùm profecit in refellendis Mahumetanorum et Albigensium erroribus. Numeratarum ergà B. Virginem orationum devotionem amplificavit, obiit 1221—Ordo Eremitarum S. Aug. antè 1254 existebat, sed eo anno Alexander IV. dispersos congregavit in unum sub unâ regulâ. Ex eo ordine fuerunt S. Thomas à Villanovâ et S. Nicolaüs Tolentinus. Celestino-

rum congregatio sub regulâ S. Benedicti à Celestino V. erecta, antequàm Pontifex creatus esset. Pontifex factus eam confirmavit anno 1294.

V. *Principes*—Dum Latini Constantinopolim occupant per 58 annos, Theodorus Lascaris Græcus, qui Turcas aliquandò debellavit, Niceæ in Bithyniâ imperabat. Ei successit Ducas, posteà Michaël Palæologus, qui Constantinopolim recuperat et legatos mittit ad Concilium Lugd. anno 1274—Andronicus schismaticus—In Germaniâ Henricus VI. imperat. Eo mortuo diù Philippus et Otho Saxo de imperio decertarunt. Successit Fridericus II. qui coactus in Palæstinam proficisci, turpi cum Sultano pactione, rem Christianam prodidit, totam Italiam intestinis factionibus replevit. Alii enim Romano Pontifici adhærentes dicti sunt *Guelphi;* qui verò Imperatorem sequebantur, *Gibelini* —Rodolphus Alzatiæ, multis commendabilis—Albertus Rodolphi filius et Austriæ dux—In Galliâ regnante Philippo Augusto, Raymundus Tolosanus comes, Albigensium partibus addictus, à Simone de Monteforti victus, hæresim ejuravit. Ludovicus VIII—S. Ludovicus Galliarum decus crucis insigne cœpit, cum validâ militum manu trans mare navigavit anno 1248 et iterùm 1270, sed infelici exitu; obiit omni laude major 1270—Philippus Audax—Philippus Pulcher.

VI. *Novatores*—Albigenses ab urbe in Occitaniâ, errores Manichæorum renovarunt. Damnati sunt à Lateranensibus III. et IV. et eorum innumerabilis exercitus à Simone de Monteforti, cum brevi copiarum manu, fusus est—Flagellantes, sic dicti à nodosis flagellis quibus nudos seipsos publicè lacerabant—Asserebant, non per baptismum aquæ, sed per baptismum sanguinis solum, remitti peccata. Vagari cœperunt circà annum 1260, damnati sunt à Clemente VI. anno 1349—Guillel-

mus à S. Amore et Joannes de Poliaco, Doctores Parisienses, acerbè et dictis et scriptis insectati sunt Regulares, præsertim mendicantes, occasione privilegiorum quibus à SS. Pontificibus donati fuerant.

Synopsis decimi-quarti Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM XV. Œcum. Viennæ in Galliâ celebratum est anno 1311, præside Clemente V. præsentibus Episcopis 300, et Regibus Philippo Pulchro Rege Franciæ, cum tribus filiis qui successivè fuerunt Reges; Eduardo II. Angliæ, et Jacobo III. Arragoniæ Regibus. Convocatum ad damnationem Fratricellorum et Beguardorum; ad extinctionem ordinis militaris Templariorum, qui nefandorum quorumcumque criminum accusabantur; ad restitutionem Ecclesiasticæ disciplinæ.

II. *Rom. Pont.*—Benedictus XI. Dominicanus, mensibus 8—Clemens V. Gallus, Bertrandus *de Got*, Archiep. Burdigalensis, Lugduni coram Philippo Pulchro coronatus, sedem fixit Avenione, ibique sederunt successores ejus per 70 annos, Papa à 1305 ad 1314—Joan. XXII. Gallus, Cadurcensis, ex obscurâ origine, dedit plures constitutiones ad sedandos tumultus apud Franciscanos exortos circà formam vestium et possidendi modum. Propensus fuit in opinionem de dilatione visionis Dei pro beatis, usque ad extremum judicium: at nihil Pontificiâ auctoritate decrevit, et opinionem morti proximus revocavit. Papa à 1316 ad 1334; ei

restitit Petrus de Corbiari Franciscanus, Avenione tandem incarceratus—Benedic. XII. Cisterciensis à 1334 ad 1342—Clemens VI. Gallus (Papa 200.) Petrus *Roger*, Doctor Parisiensis, Archiep. Rothomagensis, à 1342 ad 1352—Innoc. VI. Gallus, Stephanus *Aubert*, Lemovix, Episcopus Claromontensis, Papa à 1352 ad 1362. Urbanus V. Gallus, *Grimoard*, à 1362 ad 1370. Greg. XI. Gallus, Rogerius *de Beaufort de Canillac* à 1370 ad 1378: ab hoc Pontifice sedes Apostolica Romæ fuit restituta—Urbanus VI. Neapolitanus à 1378 ad 1389. Sub hoc Pontifice incepit magnum schisma Occidentale, quod annos ferè 40 duravit usque ad 1417, ei restitit Clemens VII. *Robertus*, Genevensis, Cardinalis, electus à Gallis. Habitus est à multis ut legitimus—Bonifacius IX. à 1389 ad 1404—Ei restitit Benedictus XIII. Petrus *de Lune* Cardinalis Arragoniæ, à Concilio Constantiensi depositus; sex Pontificibus obstitit, usque ad obitum anno 1424.

III. *Script. Eccles.*—Durandus Arvernus, Dominicanus, Doctor Parisiensis, Aniciensis et posteà Meldensis Episcopus, in multis opinionibus audax, obiit 1333—Guillelmus Okam Anglus, Franciscanus *Nominalium* dux, intemperanter quædam scripsit, obiit circà 1340—Gregorius Ariminensis, Augustinianus, scholasticus subtilissimus, obiit 1358—Franciscus *de Mayron*, Doctor Parisiensis, multa scripsit, obiit 1325—Joannes *Dunz*, Scotus, Franciscanus, *Doctor subtilis* dictus; immaculatæ Conceptionis Mariæ defensor inclitus, multa ingenii sui subtilis monumenta reliquit, obiit 1308—Joannes de Parisiis, Dominicanus, multa de Ecclesiasticis scripsit. Joannes Taulerus, Dominicanus, vitæ spiritalis Magister eximius, obiit 1361—Joannes Rusbrochius, Canonicus regularis, de vitâ mysticâ et contemplativâ scripsit, obiit 1381—Idiota,

seu Raymundus Jordanis Abbas Cellensis, scripsit summè pium opus, obiit 1381—Petrus Paludanus, Dominicanus, Doctor Parisiensis, doctè scripsit in magistrum sententiarum, obiit 1341—Nicolaüs de Lirâ Franciscanus, Doctor Parisiensis, præsertim commentaria dedit in Scripturam Sanctam, obiit 1340—Raymundus Lullus, de quo ingens apud criticos controversia, alii benè, alii malè de eo sentiunt, obiit 1315—Quidam duos distinguunt Lullos; et quidem benè.

IV. Equites S. Joannis è terrâ sanctâ expulsi, Rhodiam Insulam in Mediterraneo mari, duce Villaretio cum multis cruce signatis, obsident anno 1310, expelluntque Saracenos: hanc Insulam occupant, pluriesque repellunt Infideles: at anno 1522, Solimanus Turca, post sex mensium obsidionem, Insulam Rhodiam in servitutem redegit: deinceps in Melitam Insulam transportati Equites hactenùs ibi contrà Barbaros Christianæ rei præsidio esse pergunt.

V. Imperium Græcorum corruens fuit in familiâ Palæologorum usque ad Constantinum VIII. quo imperante anno 1453, Constantinopolis in Turcarum venit dominatum. Hi populi, quorum incerta est origo, jam à multis seculis plures Asiæ depopulati fuerant regiones et Mahumeticæ addicti erant superstitioni; sed anno 1300, Othomanus incredibiliter rem Turcicam auxit. Successores habuit Urcham, Amuratem, Bajazetem I. ferocissimum, qui à Tamerlane Tartarorum Principe victus, ludibrium factus est. Amuratis II. filius Muhammedes vel Mahumet II. Constantinopolim expugnavit; Trapezuntinum quoque Imperium occupavit: Rhodum frustrà tentavit et apud Belgradum, Joannis Huniadis virtute, pulsus est. Bajazetes II. patri sufficitur, antepositus Zizimo qui ad Christianos fugiens diù in Galliâ mansit, et in Italiâ mortuus

est tempore Caroli VIII—In Germaniâ fervebat *Guelphorum* et *Gibelinorum* æmulatio, præsertim inter Fridericum Austriacum Imperatorem et Ludovicum Bavarum pariter Imperatorem, qui Nicolaüm V. Antipapam evexit. Imperavit deinceps Carolus IV—Vinceslaüs.

VI. *Novatores*——Beguardi et Beguinæ erant nonnulli utriusque sexûs Hæretici, docentes hominem in hâc vitâ posse ad impeccabilitatis perfectionem ità pervenire ut orare, jejunare, &c. non teneatur; Justos etiam in hâc vitâ posse videre Deum sine lumine gloriæ—-Fratricelli dicti sunt ignari Plebeii, qui adhærebant tribus fratribus Apostatis Franciscanis. Hi girovagi et hypocritæ in muliercularum familiaritatem sese insinuantes, paupertatis Evangelicæ speciem sibi arrogabant; soli orationi, non labori, vacandum esse dicebant—Joannes de Montesono Hispanus, Dominicanus, plures in Academiâ Parisiensi protulit propositiones erroneas, quæ graves turbas excitavêre—Turlupini, Beguardorum progenies, dicebant omnia omninò debere esse communia; de nullo à naturâ concesso erubescendum esse; undè nudi incedentes, multa dictu et cogitatu pudenda agebant—Wicleffistæ à Joanne Wicleffo, Doctore Anglo et Parocho; iste ex odio in summum Pontificem, qui præfecturam Collegii quam invaserat illi eripuit, in multos lapsus est errores de Ecclesiæ auctoritate et membris; de Pontificûm jurisdictione; de Eucharistiâ, &c. Vivens damnatus est in Concilio Londinensi 1382, ibi errores compulsus est ejurare; impœnitens tamen obiit 1384, sæpius etiam damnatus post mortem; tandem à Concilio Constantiensi 45 ejus articuli *in globo* damnati sunt.

Synopsis decimi-quinti Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM XIV. Œcumenicum Constantiense, imperante Sigismundo, regnante in Galliis Carolo VI. convocatum à Joanne XXIII. celebrari cœpit anno 1414, finem habuit anno 1418. Post depositum Joannem XXIII. post cessionem factam à Greg. XII. post depositum Benedictum XIII. electus est Martinus V. qui præfuit Sessionibus 42, 43, 44, 45. Adfuerunt Episcopi ampliùs 300, damnati sunt in globo 45 articuli Joannis Wicleffi, jam à pluribus annis defuncti, et 30 articuli Joannis Hus qui traditus potestati sæculari vivus exustus est. Idem accidit Hieronymo de Pragâ, in ejuratam hæresim relapso.

Concilium XVII. Œcum. Florentinum, imperante Alberto Austriæ, regnante in Galliis Carolo VII. inceptum est Ferrariæ, anno 1438, præside Eugenio IV. præsentibus 141 Episcopis, cum Imperatore Græcorum Joanne Palæologo et Patriarchâ Constantinopolitano ac Legatis Alexandrini, Antiocheni et Jerosolymitani Patriarcharum. Florentiam translatum est anno 1439; facta est unio utriusque Ecclesiæ, Græcæ et Latinæ, et promulgata definitio fidei, quæ vulgò appellatur *Decretum unionis*, in quâ declaratur Spiritum Sanctum à Patre et Filio, unicâ utriusque spiratione, procedere, vocemque illam, *filioque*, licitè symbolo additam fuisse. 2°. Christi corpus validè, tam in fermentato quam in azymo, consecrari. 3°. Existere *Purgatorium*, in quo animæ fidelium, in Christi gratiâ decedentium, temporales pœnas luunt, si non plenè

purgatæ è vitâ discesserint; easque viventium fidelium suffragiis adjuvari: eorum autem animas, qui nullam post baptismum culpam contraxerunt, vel contractas condignâ pœnitentiâ eluerunt, sinè morâ ad claram Dei visionem admitti. 4°. Romanum Pontificem esse verum Christi Vicarium, successorem B. Petri, caput totius Ecclesiæ, Pastorem et Doctorem omnium Christianorum, cui in B. Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, plena potestas à Christo data est—Anno 1440, digressis Florentiâ Græcis, dedit Eugenius IV. Armenis, anteà Eutychianis et Monothelitis, decretum, sive compendosas instructiones orthodoxas circà sacramenta et quædam dogmata. Dedit et aliud decretum pro instructione Jacobitarum.

Concilium Basileense à Clero Gallicano ut œcumenicum semper habitum usque ad sessionem 24, indictum fuit à Martino V. anno 1430, ad comprimendas Bohemorum seditiones et hæreses, ac ad fidelium mores reformandos. Inchoatum fuit anno 1431. Defuncto Martino successerat Eugenius IV. qui post primam sessionem, cui præfuit Julianus Card. Legatus, Concilium Bononiam transferre meditatus est. Huic translationi obstitit Concilium, et in secundâ Sessione approbatur et confirmatur decretum Concilii Constantiensis, quo declaratur Synodum generalem potestatem à Christo immediatè habere, cui quilibet cujuscumque statûs, vel dignitatis, etiam Papalis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis et generalem reformationem Ecclesiæ, in capite et in membris. Deinceps Basileenses Eugenii depositionem meditati sunt. At Sess. 16, Eugenius Concilii dissolutionem revocat et Concilium approbat. Nova tamen bella mox eruperunt. Iterùm Eugenius dissolutionem Concilii, et Basileenses Papæ depositionem tentant Sess. 34; et sess. 39, anno

1439 habitâ, in Eugenii locum eligitur et coronatur Amedæus à Sabaudiâ appellatus Felix V. qui tamen posteà Nicolao V. obedivit, à quo benè exceptus est, et Decanatum sacri Cardinalium Collegii obtinuit. Intereà Basileenses, præside Cardinali Arelatensi, 45 Sess. usque ad annum 1443 protrahunt: Eugenius verò nusquam approbavit ultimas sessiones Concilii, quod, post 34am habitam anno 1439, schismaticum declaraverat.

Anno 1409, habitum fuerat Concilium Pisanum in Etruriâ, convocatum à Cardinalibus obedientiæ Greg. XII. et Benedicti XIII. Adfuere 22 Cardinales, quatuor Patriarchæ, plusquam 300 Episcopi, per se vel per procuratores, innumeri omnium ordinum proceres, duo de Papatu contendentes exauctorantur, et Alexander V. eligitur. A quibusdam Concilium illud pro œcumenico habitum est.

Anno 1438, celebratus est Conventus Bituricensis, in quo approbata est à Gallicanis præsulibus et regni proceribus et à rege Carolo VII. Pragmatica Sanctio plurium Constitutionum, præsertim ex Concilio Basileensi, depromptarum, variis tamen adhibitis modificationibus. Hâc sanctione Episcopi ab Ecclesiarum vacantium Capitulis eligebantur, et tertia pars Beneficiorum *Graduatis* reservabatur. Hanc Sanctionem improbarunt aliqui Summi Pontifices.

II. *Rom. Pont.*—Innoc. VII, à 1404 ad 1406 —Greg. XII. à 1406 ad 1409, quo depositus est cum Benedicto XIII. à Concilio Pisano, et suffectus Alexander V. Franciscanus, mensibus 18— Joan. XXIII. à 1410 ad 1415, quo depositus fuit à Concilio Constantiensi, et ei suffectus Martinus V. à 1417 ad 1431—Eugenius IV. à 1431 ad 1447, ei restitit Antipapa Felix V.—Nicolaüs V. à 1447 ad 1455—Calixtus III. *Borgia* Hispanus, à 1455 ad 1458. Instituit ut meridiè pulsarentur Cam-

panæ, ad fideles excitandos ad orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitandas—Pius II. Æneas Sylvius *Picolomini*, Senensis; à 1458 ad 1464—Paulus II. à 1464 ad 1471: mitram tribus ornatam coronis sibi paravit. Jubilæi solemnitatem, quam Bonifacius VIII. singulis 100 annis celebrandam instituerat et Clemens VI. singulis 50, ipse ad 25 revocavit—Sixtus IV. Franciscanus à 1471 ad 1484, scripsit librum de Immaculatâ B. V. Mariæ Conceptione et Festum ejus per totam Ecclesiam celebrari jussit—Innoc. VIII. à 1484 ad 1492—Alexander VI. Rodericus *Borgia*, Hispanus, à 1492 ad 1503, vir pessimæ famæ et Gallis infensus.

III. *Script. Eccles.*—Alphonsus Tostatus, Doctor Salmanticensis, Abulensis Episcopus—Adfuit Basileensi Concilio, dictus *stupor mundi, qui scibile discutit omne.* Opera ejus 17 in-folio constant, scripsit præsertim Commentaria in utrumque Testamentum, obiit 1454—Æneas Sylvius, qui in summo Pontificatu Pius II. multa scripsit, obiit 1464—Angelus de Clavasio Franciscanus, scripsit summam Theologicam, obiit 1495—S. Antoninus Dominicanus Archiep. Florentinus, summam Theologicam, historiam, aliaque opera edidit, obiit 1459—Bessario Græcus, Trapezuntinus, Cardinalis, Constantinopolitanus Patriarcha, Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ unionem in Concilio Florentino promovit, multa scripsit, obiit 1472—S. Bernardinus Senensis Franciscanus, concionator fuit sermone potens et opere, obiit 1444—Dionysius Rikel Carthusianus Leodiensis, vir morum sanctitate ac eruditione clarus, innumera scripsit, præsertim in utriusque Testamenti et magistri sententiarum libros, obiit 1471—Gabriël Biel Canonicus Regularis, Tubingensis in Germaniâ Professor, multis clarus operibus obiit 1475—Joannes Gerson Doctor et Cancellarius

Universitatis Parisiensis, vir summæ eruditionis in omnibus sacris Litteris, et scientiam mirâ pietate ac modestiâ illustrans. Interfuit Conciliis Pisano et Constantiensi, atque istius veluti *oraculum* habitus est. Ultimâ vitæ suæ periodo Lugdunum se contulit, ubi libris piè et eruditè scribendis, ac parvulis catechisandis totus fuit, obiit 1429—Joannes à Turrecrematâ Hispanus, Dominicanus, Doctor Parisiensis, Cardinalis, in Concilio Basileensi contrà Husitas fortissimè dimicavit, et in Florentino contrà Marcum Ephesinum ; multa dedit doctrinæ signa, vitæ sanctitate conspicuus, obiit 1468—Joannes Capreolus Dominicanus, circà annum 1430 floruit—Nicolaüs Tudesk Panormitanus in Siciliâ Abbas et Archiep. juris Canonici peritissimus ; adfuit Concilio Basileensi, obiit 1459—Petrus de Natalibus, quasdam sanctorum historias edidit quæ lectoris judicium desiderant, ut illæ quas scripsit Simeon Metaphrastes, obiit 1470—Platina Cremonensis scripsit Rom. Pontificum vitas, obiit 1481 —Picus Mirandulanus Comes, in Italiâ, à pueritiâ summis animi corporisque dotibus ad prodigium usque ornatus : 22° ætatis anno quæstiones 900 de omnibus scientiis publicè à se propugnandas Romæ proposuit, obiit 1494, ætatis 32—Petrus de Alliaco virtute et doctrinâ ad summa provectus est, Doctor Parisiensis, Cameracensis Episc. et Cardinalis ; Pisanæ interfuit Synodo et Concilio Constantiensi. Multa præclarè scripsit, et obiit 1425—Thomas Valdensis, Anglus Carmelita, adversùs multos sui temporis hæreticos exactissimè disseruit, obiit 1430 —Thomas à Kempis Germanus, Canonicus Regularis, qui obiit anno 1471. Diù ab omnibus habitus fuit ut auctor libri verè aurei *de Imitatione Christi.* Pauci illum *Gersoni* attribuerunt ; sed nunc multi illum scriptum existimant a *Gersene* Abbate Vercellensi, qui vixit seculo 13°.

IV. S. Franciscus a Paulâ Italus, admirabile humilitatis et abstinentiæ præbuit exemplum Minimis quorum fuit institutor, obiit 1507. Eo seculo frequenter à Romanis Pontificibus concedebantur mandata, reservationes, indulta et gratiæ exspectativæ ad obtinenda beneficia Ecclesiastica, ubi primùm vacarent. Undè identidem in Galliis ortæ sunt contentiones.

V. *Principes*—Turcæ innumera religioni Christianæ intulerunt mala, universas Asiæ et Africæ Provincias occupando. Bajazeto II. suffectus est Selimus, qui Ægyptum occupavit, Mammelucis debellatis—Anno 1499, Ismaël Sophus, qui non erat ex Othomanorum familiâ, Persarum rex factus, Mahumetismum juxtà Halis instituta à Persis et Armenis, observari voluit, dùm Turcæ Omoris interpretationem sequuntur : hinc bellum frequens Persas inter et Turcas—In Germaniâ Sigismundus Hungariæ rex anno 1410, designatus imperator, pietate ac religionis studio cæteris præstans, nihil non tentavit, ut pacem Ecclesiæ redderet. Adfuit Concilio Constantiensi—Sigismundo successit Albertus Austriæ, qui adversùs Bohemos et Turcas acriter pugnavit—Deindè Fridericus Austriacus, Germaniæ pacificator : cui successit ejus filius Maximilianus, qui vixit usque ad annum 1519. Imperante Friderico Austriæ, Joannes Corvinus Huniades Albaniæ Princeps, et Scanderbergus Epiri Princeps, egregiâ fortitudine, adversùs Amuratis Turcæ potentiam, tuiti sunt partes christianas, et immensos ejus exercitus, parvâ copiarum manu, superarunt—In Galliâ Caroli VII. fortuna successit lugendo Caroli VI. regno; pleraque Angli possidebant, at Joannæ *d'Arc*, quæ *Aurelianensis Puella* dicta est, auxilio, regnum suum recuperavit ; adeò ut anno 1453, præter Caletem, nihil in Galliis possiderent

Angli—Carolo successit Ludovicus XI. vir dubiæ pròbitatis—Deindè Carolus VIII. brevi occupavit Neapolitanum regnum, brevi amisit.

Pulvis tormentarius, seculo præcedenti inventus fuerat, ut refertur, à Monacho; circà annum 1440, ab Equite Moguntino reperta est Ars Typographica conservandis et promulgandis monumentis adeò utilis. Orbis novi insulas invenit Christophorus Columbus circà annum 1493, regnantibus Isabellâ Castellæ et Ferdinando Arragoniæ, quibus Alexander VI. Regum Catholicorum dedit titulum. Insulas illas invisit, et alias regiones detexit anno 1497 Americus Vespusius, et ab eo Americæ nomen habuit quarta pars Orbis.

VI. *Novatores*—Hussitæ à Joanne Hus Bohemo et Hieronymo Pragensi, utroque vivo Constantiæ combusto. Valdensium et Viclefistarum errores renovarunt, et alios addiderunt Protestantes. Hussitæ diù armati in Bohemiam incursarunt; Joannem Ziscam audacem hominem, manu et consilio promptum, ducem constituunt, qui in Monte dicto Thabor, undè Thaboritæ, arcem munitissimam constituit: voluit etiam se mortuum hostibus afferre terrorem, tympano ad bellum ex pelle suâ confecto—Petrus Oxomensis, seu de Osmâ, Salmanticensis professor, audacis vir ingenii, librum vulgavit anno 1479, in quo inter alios errores, asserebat, a Christo institutam non esse confessionem sacramentalem, peccata solâ cordis contritione deleri, &c. Damnatæ sunt ejus plures propositiones in globo à Sixto IV—Græci, qui in Concilio Florentino veritatem professi fuerant, mox, Marci Ephesini pertinacis viri astutiis, ad vomitum rediere.

Synopsis decimi-sexti Ecclesiæ Seculi.

I. CONCILIUM XVIII. et ultimum Œcum. scilicet Tridentinum, indictum fuerat Mantuæ, deindè Vincenciæ; at subortis obicibus, indictum fuit Tridenti, quæ est Urbs Germaniæ contermina et Italiæ. Ibi incœptum est Concilium anno 1545, sub Paulo III. summo Pontifice; Carolo V. imperante; Henrico II, in Galliis regnante. Translatum Bononiam anno 1547, continuatum Tridenti sub Julio III. anno 1551, at ob belli tempestates anno 1552 suspensum; tandem à Pio IV. anno 1560, continuatum et feliciter terminatum anno 1563, curâ et laboribus S. Caroli Borromæi Pii IV. nepotis; imperante Ferdinando, et in Galliis Carolo IX. regnante, cujus nomine adfuerant tres Legati D. D. de Lansac, du Ferrier, de Pibrac. In eo Episcopi Galli, duce Cardinali à Lotharingiâ, magnam sibi doctrinæ, eloquentiæ et zeli laudem pepererunt. Habitæ sunt Sessiones 25, præsidentibus semper Apostolicæ sedis Legatis. Editi sunt 126 canones. In eo confirmata fides contrà Lutheri, Calvini et plurium aliorum errores, et ad restituendam Ecclesiæ disciplinam, bellis et hæresibus labefactatam, allaboratum est. Hoc Concilium, quod omnium aliorum quasi Compendium fuit, summo est apud Catholicos in pretio, sed valdè displicuit hæreticis et eorum amicis, imprimis Fra-Paolo Suavi, seu Sarpi, qui historiam Concilii, mendaciis refertam, stylo mordaci composuit; hanc ex professo solidè confutavit Cardinalis Pallavici-

nus : mendacia et convicia Fra-Paoli renovavit et auxit Frater le Courayer Can. Reg. S. Genovefæ, qui ordinis sui Apostata, in Angliâ obiit anno 1776.

Paulò post Concilium Tridentinum celebrata sunt in Galliis plurima Concilia Provincialia, in quibus summâ cum approbatione, quoad fidei decreta, receptum est à Clero Gallicano, et quoad pleraque reformationis capita, quæ regni usibus non sunt contraria.

Anno 1511, habitus est Pisanus conventus, in quo quidam Cardinales et Episcopi, duce Cardinali à S. Cruce Carvajalio, Julium II. de Jurisdictione deturbare conati sunt.

Ab anno 1512 ad 1517, celebrata est Synodus V. Lateranensis, quam Itali volunt fuisse Concilium Œcumenicum, imperante Maximiliano, regnante Ludovico XII. primis sessionibus adfuit Julius II. ultimis Leo. X. adfuerunt Episcopi 114. Contradicere videtur Conciliis Constantiensi et Basileensi, quoad supremam præstantiam Concilii generalis : undè à Gallis nunquam habitum est ut œcumenicum : in eo reprobata est Pragmatica Sanctio et approbatum Concordatum, sive conventio Francisci I. cum Leone X. inita Bononiæ anno 1515, quâ, temperatis Pragmaticæ articulis Curiæ Romanæ odiosis, quædam jura Regi Franciæ sunt acquisita vel confirmata, *v. g.* eligendi et præsentandi ad Abbatiales et Episcopales dignitates ; alia autem summo Pontifici jura accesserunt vel confirmata sunt, *v. g.* exigendi *Annatas*, sive tributum ex proventibus prioris anni quo beneficium possidetur, ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Romanæ, omnium matris. Ibi conceduntur *Graduatis* Beneficia, quæ per obitum vacant mensibus Januario, Aprili, Julio, Octobri.

II. *Rom. Pont.*—Pius III. diebus 26—Julius II. à 1503 ad 1513, Gallis infensus fuit—Leo X. *Medicis*, electus ætatis 33, à 1513 ad 1521, Propositiones Lutheri 35 damnavit *in globo*—Adrianus VI. Ultrajectensis, humili loco natus, Caroli V. imperatoris anteà Pædagogus. Anno uno gessit Pontificatum. In gratiam alumni sui concessit, lege perpetuâ, regibus Hispaniæ, jus præsentandi Episcopos Hispaniarum—Clemens VII. *Medicis* à 1523 ad 1534. Henrici VIII. Anglorum regis cum Catharinâ Arragoniæ matrimonium olim contractum dissolvere noluit; mensibus 8 in arce Æliâ captivus detentus est à Carolo V. fictè dolente—Paulus III. *Farnese*, à 1534 ad 1549. Concilium Tridentinum indixit—Julius III. *du Mont* à 1550 ad 1555—Marcellus II. diebus 22—Paulus IV. à 1555 ad 1559—Pius IV. *Medicis*, à 1559 ad 1565. Concil. Trid. terminavit—S. Pius V. *Ghisleri*, Dominicanus: precibus ejus præsertim parta creditur victoria navalis Lepantica, à Christianis reportata, duce Joanne Austriaco, anno 1571, in Turcas, qui amiserunt 80 naves et 35000 hominum. Papa fuit à 1566 ad 1572—Greg. XIII. *Boncompagno*, à 1572 ad 1585. Calendarium reformavit—Sixtus V. *Perreti*, ex obscurâ stirpe, Franciscanus, à 1585 ad 1590, plurima ad quietem publicam, ad urbis Romæ ornamentum, ad morum decentiam, ad scripturæ sacræ puram editionem, contulit—Urbanus VII. *Castagna*, diebus 12—Greg. XIV. *Sfondrati*, mensibus 2—Clemens VIII. *Aldobrandin*, à 1592 ad 1605. Bibliorum editionem castigatissimam prodire curavit.

III. *Script. Eccles.* Alphonsus à Castro Franciscanus, edidit præsertim tractatum de hæresibus, obiit 1558—Arias Montanus Hispanus, omnium gentium linguis atque litteris excultus, obiit 1598, Ambrosius Politi, Catharinus dictus Dominicanus,

Theologus in quibusdam audax, obiit 1552—Alphonsus Salmeron Hispanus Jesuita, Tridentinus Theologus, commentariis in scripturam præsertim illustris, obiit 1585—Baronius Oratorianus, Romanus, Cardinalis, nobilis Annalium Ecclesiasticorum scriptor, obiit 1607—Blosius Benedictinus omnibus litteris imbutus et omni virtutum genere ornatus, asceticis libris clarissimus—Catechismus Concilii Tridentini jussu Pii V. à Dominicanis elaboratus est—Covarruvias Doctor Salmanticensis adfuit Tridentino et multa de jure Canonico scripsit, obiit 1577—Cajetanus Thomas *de Vio* Dominicanus, Cardinalis, multa scripsit acutè, sed non sine quibusdam nævis, obiit 1535—Cochlæus Germanus erectis adversùs Lutherum, Bullingerum, Osiandrum, Musculum, Bucerum, Calvinum, &c. trophæis nobilis, obiit 1552—Cujacius celeberrimus juris professor, obiit 1590—Dominicus Soto et Petrus Soto Dominicani obtinuerunt in Concilio Tridentino summam pietatis et doctrinæ existimationem, et egregia scripserunt—Driedo Doctor Lovaniensis, multis operibus Lutheranos errores impugnavit—Ekius Suevus Catholicæ fidei adversùs Lutherum, Carlostadium, Œcolampadium, Melanctonem, Pomeranum, &c. propugnator egregius, obiit 1543—Erasmus Canonicus regularis, sed vitæ regularis pertæsus, plerasque Academias percurrit, in fide ambiguus, opera multa scripsit, obiit 1536—Emmanuêl Sa Lusitanus Jesuita scripsit annotationes in Scripturam Sanctam breves, sed eruditas, obiit 1596—Espencæus Doctor Parisiensis, adfuit colloquio Pissiaco, *de Poissi*, multa scitè scripsit præsertim contrà Calvinianos, obiit 1571—Gaguinus Trinitarius, scripsit multa, obiit 1502—Graffius Benedictinus dedit decisiones aureas, obiit 1593—Gropperus Germanus, Cardinalis, fidei, adversùs Hermannum Coloniensem archipræsulem

apostatam propugnator acerrimus, multos edidit tractatus, obiit 1558—Genebrardus Benedictinus hebraïcæ linguæ peritissimus, obiit 1597—Hosius Polonus, Cardinalis Legatus in Concilio Tridentino, scripsit, inter cætera, confessionem Catholicæ fidei adversùs confessionem Augustanam, obiit 1579—Jansenius Gandavensis, Doctor Lovaniensis, adfuit Tridentino, et de Scripturâ sacrâ potissimùm scripsit, obiit 1576—Lainesius Hispanus Jesuita, ex Theologis Tridentinis conspicuus—Lippomanus insigniter eruditus, inter Tridentinos celebris, obiit 1559—Major Doctor Parisiensis placita Theologica, &c. edidit, obiit 1540—Merlinus Doctor Parisiensis, in scripturâ et Patribus versatissimus, obiit 1524—Maldonatus Jesuita scripsit in Evangelia, et casus conscientiæ, obiit 1583—Melchior Canus Hispanus Dominicanus, Salmanticensis Doctor, inter Tridentinos Theologos insignis, scripsit de locis Theologicis, et obiit 1560—Molina Jesuita edidit inter alia opera, librum de *Concordiâ gratiæ et liberi arbitrii*, qui multas turbas excitavit. Re longius discussâ in congregationibus *de auxiliis*, summi Pontifices, Clemens VIII. et Urbanus V. nihil aliud definierunt, nisi ut partes collitigantes, Dominicani scilicet et Jesuitæ, invicem abstinerent ab accusatione hæreseos—Onuphrius Panvinus Augustinianus, de Historiâ Ecclesiasticâ benè meritus, obiit 1568—Navarrus Azpilcueta, Pœnitentiarius Romæ, edidit præsertim tractatus morales, obiit 1586—Prateolus Doctor Parisiensis multa scripsit circà annum 1569—Ruardus Tapperus Doctor Lovaniensis adfuit Concilio Tridentino, multa dedit opera Theologica, et obiit 1559—Rebuffus in disciplinâ Ecclesiasticâ peritissimus, obiit 1583—Sairus Benedictinus Anglus, dedit thesaurum conscientiæ casuum anno 1599—Sixtus Senensis, Dominicanus, linguarum peritissimus, obiit 1569—Soto

Lusitanus, Dominicanus, scripturæ commentator, obiit 1599—Surius Carthusianus, vitas Sanctorum et Concilia collegit, obiit 1578—Toletus Jesuita Cardinalis, scientiæ et pietatis dotibus ornatus, obiit 1596—Trithemius Benedictinus plura dedit opera, obiit 1516—Tabiena seu Tagnazo, Dominicanus, scripsit summam summarum, obiit 1524—Vega Hispanus, Franciscanus, doctrinæ Tridentinæ testis et commentator, scripsit præsertim de justificatione, obiit circà 1560—Victoria Dominicanus, Doctor Salmanticensis, scripsit de Sacramentis, Censuris, &c. obiit 1546—Ximenius Cardinalis, primus Biblia polyglotta, infinitis laboribus atque impensis, perfecit, obiit 1517.

IV. Ordo Theatinorum seu Clericorum regularium, incepit à Petro Carafâ Episcopo Theano, et posteà SS. Pontifice Paulo IV. et à S. Gaëtano Thianensi, anno 1524, institutus est ut probarent, quàm bonum sit confidere in Domino—Ordo Barnabitarum, seu Clericorum regularium S. Pauli, cœpit à Zachariâ Cremonensi anno 1536, institutus ad Dei et proximi dilectionem promovendam—Ordo Jesuitarum, seu Societas Jesu, initium habuit anno 1534, à S. Ignatio, qui obiit anno 1556; Ordo institutus ut omnibus omnia facti Jesuitæ, Deo lucrentur animas in omnibus orbis partibus—Oratorium Romanum à S. Philippo Nerio anno 1575 institutum, ad fideles verbo et exemplo edocendos—Ordo Recollectorum seu regulæ strictæ observantiæ S. Francisci, cœpit in Hispaniâ anno 1484, in Italiâ 1525, in Galliâ 1592; institutus ad pristinum fervorem renovandum—Ordo Capucinorum à Matthæo Bassæo et Ludovico Fossembrunæo 1525 institutus, ut sit voluntariæ paupertatis, asperæ mortificationis et fervidæ charitatis perpetua prædicatio—Ordo Carmelitarum discalceatorum à S. Theresiâ et S. Joanne à Cruce refor-

matorum anno 1562, ut mortificationem Jesu jugiter in corpore suo circumferant religiosi—Ordo Fratrum Charitatis, à S. Joanne de Deo, anno 1540, institutus ad charitatem ergà pauperes ægrotos jugiter exercendam—Ordo Fuliensis, Cisterciensium reformatio, à Joanne Barrieræo, anno 1587 ut fervida S. Bernardi vita reviviscat—Ordo Pœnitentium vulgò Picpussanorum, à Vincentio Mussartio anno 1594 institutus, ut sint religiosi perfectæ pœnitentiæ speculum—S. Franciscus Xaverius Hispanus, S. Ignatii discipulus, anno 1541, ultimum in Orientem profectus, magnis ibi gestis rebus ac miraculis, Indorum et Japoniæ Apostolus dici meruit. Legatos à Japoniæ regibus, jàm Christianis, missos ad sedem Apostolicam, paterno affectu recepit Gregorius XIII. Ab eo tempore magnos religio Catholica fecit in imperio Sinensi progressus.

V. *Principes*—In Oriente Solimannus Selimi filius, Belgradum expugnat anno 1521, sequenti Rhodum, ab Viennæ mœnibus, magnâ acceptâ clade, repulsus, anno 1529—Melitam inaniter obsidet 1565—Selimus II. Cyprum occupat et Lepanti à Christianis vincitur 1571—Osmannus, qui adversùs Polonos cum 400,000 venit et victus cum 300,000 tantùm redit—In Germaniâ Carolus V. Imperator rebellantes in Germaniâ Principes, qui Lutheranum virus afflaverant, magno victos certamine, ad officium coëgit anno 1546—Ferdinandus et Maximilianus II. successivè imperârunt—In Angliâ Henricus VIII. edito contrâ Lutherum opere luculento, *Defensoris fidei* titulum meruerat anno 1521 ; at Annæ *de Boulen* pellicis captus illecebris, cum Catharinâ conjuge, consilio Cardinalis Volsei usus, divortium facit, anno 1532, ob id sententiâ Romani Pontificis notatus, se, cum omni regno suo, ab ejus communione divulsit, illustresque viros affecit supplicio, *v. g.* Thomam Morum Cancella-

rium, et Joannem Fischerium Roffensem Episcopum, obiit 1547—Regnante Eduardo VI. Ducis Sommerseti regis tutoris favore, hæresis in Angliâ caput extulit, Martino Bucero, Petro Martyre, Bernardino Ochino, auctoribus; sacrificium Missæ abrogatum est, et omnia sacra mutata sunt; obiit Eduardus 1553—Maria Regina omnia, cum Cardinali Polo, ad catholicitatem deducebat, obiit 1558—Elisabeth declarata supremum Ecclesiæ Anglicanæ in terris caput, Catholicos omni cruciatuum genere vexavit, Scotis perduellibus favit, et Mariam Stuartiam Scotiæ reginam, post 20 annorum carcerem, iniquissimâ sententiâ, anno 1587, capite mulctavit, obiit 1603—Scotia, Dania, Suecia, et plures Germaniæ partes, heu! à fide Catholicâ defecerunt—Anno 1566, Batavi ab Ecclesiâ Romanâ et ab obsequio Philippi II. Hispaniarum regis desciverunt, occasione asperitatis et exactionum Ferdinandi Albaniæ Ducis—In Galliâ Franciscus I. acerrimus fuit fidei Catholicæ defensor, bonarumque artium restorator—Henricus II. Lutheranos occultè grassantes, severissimis compescuit edictis; nec paucos igne punivit. Sub Francisco II. et Carolo IX. Calvinianorum furor in apertam rebellionem erupit; quamvis victi in prœliis Drocensi, Dionysiano, Jarnacensi et Moncunteriensi, perduelles resistebant—præsente Carolo IX. habitus est Conventus Pissiacensis, sive Colloquium anno 1561, in quo hæretici cum Catholicis in certamen venerunt; at nihil ad concordiam perfectum est—Henricus III. molliter se gessit. Sub prætextu religionis conspiratio, quæ *Liga* dicta est, totam Galliam civilibus procellis agitavit: sed extincta est ab Henrico IV. qui anno 1594 catholicam fidem sincerè et feliciter amplexus est; Princeps tot triumphis, simulque clementiâ, prudentiâ, et magnanimitate celeberrimus,

VI. *Novatores*—Lutherani à Luthero Saxone, ordinis Augustinianorum apostatâ, qui anno 1517, ex apostatâ hæreticus factus, ex hæretico hæresiarcha, devastavit Ecclesiam et imperium Germanicum: suos discipulos dici voluit *Evangelicos*, id est, Evangelii, ut aiebat, per Catholicos depravati et à se restituti, sectatores. Hi in plures sectas divisi sunt posteà. Ex eâ enim impiâ radice pullulârunt rami non minùs impii, Anabaptistæ, Sacramentarii, Confessionistæ, qui confessioni Augustanæ adhærere se protestantur; et quia error diù constans esse nequit, varii acceptis à Luthero dogmatibus sua adjecêre commenta: undè apud Lutheranos dici possunt tot esse sensus quot capita—Sacramentarii seu Zuingliani à Zuinglio Constantiensi Canonico apostatâ, Œcolampadio, et Carlostadio sacerdote qui primus è clero apud Germanos uxorem ducere fuit ausus, asserunt in Eucharistiâ esse solum corporis Christi signum, &c,—Anabaptistæ à Storkio qui à Luthero defecit, docent adultos, in infantiâ baptisatos, esse rebaptisandos; quia parvulis usu rationis carentibus inutilis est, ac proindè denegandus baptismus—Calviniani à Joanne Calvino Noviodunensi qui, circà annum 1535, variis hæresibus Galliam et Sabaudiam infecit, nihil ferè in sanctâ religione reliquit incorruptum. Docuit, inter alia, Christi corpus non esse in Eucharistiâ realiter et substantialiter præsens, mandata Dei esse hominibus impossibilia,&c,—Protestantes dicti sunt Lutherani qui anno 1529 protestati sunt in Germaniâ, contrà decretum quo tollebatur libera cuique religionis optio, et Catholicæ professio præcipiebatur. Nunc omnes 16 seculi Novatores nomen illud libenter admittunt—Michaël Servetus Hispanus anno 1553, Genevæ operâ Calvini flammis traditus est; pluralitatem personarum Trinitatis, et Ecclesiæ auctoritatem negabat—Enthusiastæ erant fana-

tici, qui raptus et extases sibi familiares esse gloriabantur, et solam orationem sufficere docebant—Sociniani à Fausto Socino Italo, Lælii Socini nepote, omnia ferè renovârunt portenta hæreseon, Sabellianæ, Arianæ, Macedonianæ, Pelagianæ, Calvinianæ, &c. Trinitatis et Incarnationis mysteria et Ecclesiæ Sacramenta negant: obiit impius Socinus anno 1604—Libertini, sic dicti ob effrenam, quam prædicabant et sequebantur, tum credendi tum vivendi libertatem; scripturas ridebant, mysteria ferè omnia rejiciebant: omnia omnibus licita esse volebant: omnia à Deo fieri dicebant, etiam ipsa peccata; aut potiùs peccatum nihil esse, nisi inane commentum—Nefandæ hujus libertatis amatores sunt multi, nostris temporibus, omnis religionis, aut potius, nullius sectatores—Adiaphoristæ, id est indifferentes, dicebant omnia speculativa et practica, quæ à diversis societatibus christianis proponuntur, esse ad salutem indifferentia; ità ut illa credere vel non credere, illis uti vel non uti possint sine peccato fideles, singuli pro bono pacis. Augentur quotidiè nostris diebus hujus pessimæ doctrinæ sectatores.

Baïanistæ à Michaële Baio Lovaniensi Doctore et Professore, cujus propositiones 76 à S. Pio damnatæ sunt, anno 1567; damnationem confirmavit Greg. XIII, anno 1579; et Lovanium misit Toletum, cujus operâ adductus est Baïus ad sincerè et solemniter damnandas propositiones, eo sensu quo fuerant damnatæ; nimirùm *in rigore et in sensu ab auctore intento.* In illis autem asserebatur, 1°. Statum *naturæ puræ* esse impossibilem, et Deum non potuisse creare Adamum nisi ornatum supernaturalibus donis quibus illum induerat ipsâ creationis exigentiâ. 2°. Concupiscentiam et ejus motus indeliberatos esse vera peccata. 3°. Libertatem nihil aliud esse, ex scripturis, quam liberationem à

servitute peccati, illam stare posse cum necessitate antecedente relativâ, et liberum arbitrium in solo voluntario residere. 4°. Nullum esse medium inter charitatem audabilem et vitiosam cupiditatem; ideòque quidquid non fit ex charitate esse peccatum.

Synopsis decimi-septimi Ecclesiæ Seculi.

I. ANNO 1607, absolutæ sunt Congregationes, dictæ *de Auxiliis*, inceptæ sub Clemente VIII. occasione disputationum, quæ in Hispaniâ exarserant inter Dominicanos et Jesuitas de gratiâ, prædestinatione et Dei scientiâ. Clemens, advocatis et auditis utriusque partis Theologis pluribus, nihil definivit. Pariter Paulus V. litem in suspenso reliquit et utrique parti permisit propriam tueri sententiam, modò censuram et odiosum nomen alteri parti pars altera non affingeret; et hactenùs nullum de eâ re definitivum latum est decretum.

Anno 1682 Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus emisit *Declarationem de Ecclesiasticâ potestate* quæ valdè displicuit Innoc. XI. S. Pontifici, et cujus hic est tenor:

Ecclesiæ Gallicanæ decreta, et libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris canonibus et Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur; nec desunt qui earum obtentu, primatum B. Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum, à Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in quâ fides prædicatur et uni-

tas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt, quo eam potestatem quâ pax Ecclesiæ continetur, invidiosam et gravem Regibus et Populis ostentent; iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ matris, Christique adeò communione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi et Episcopi Parisiis mandato regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, unà cum cæteris Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sancienda et declaranda esse duximus.

1. *Primùm B. Petro ejusque successoribus Christi vicariis, ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium et ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, à Deo traditam potestatem, dicente Domino*: Regnum meum non est de hoc mundo; *et iterùm:* Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo; *ac proindè stare Apostolicum illud:* Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt: itàque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *Reges ergò et Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide atque obedientiâ, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse; eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, et Sanctorum exemplis consonam omninò retinendam.*

2. *Sic autem inesse Apostolicæ Sedi ac Petri successoribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant Sanctæ Œcumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolicâ comprobata, ipsoque Romano-*

rum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesiâ Gallicanâ perpetuâ religione custodita decreta, de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ sessione quartâ et quintâ continentur; nec probari à Gallicanâ Ecclesiâ qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minùs approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

3. *Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam regulas, mores et instituta à Regno et Ecclesiâ Gallicanâ recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta et consuetudines, tantæ Sedis et Ecclesiarum consensione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant.*

4. *In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.*

Quæ, accepta à Patribus, ad omnes Ecclesias Gallicanas atque Episcopos iis, Spiritu Sancto auctore, præsidentes, mittenda decrevimus; ut id ipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu, et in eâdem sententiâ.

II. *Rom. Pont.* Leo XI. *Medicis*, diebus 25—Paulus V. *Borghese*, à 1605 ad 1621—Greg. XV. *Ludovisio*, à 1621 ad 1623—Urbanus VIII. *Barberini* à 1623 ad 1644—Innoc. X. *Pamphili*, à 1644 ad 1655—Alexander VII. *Chigi* à 1655 ad 1667—Clemens IX. *Rospigliosi*, à 1667 ad 1670—Clemens X. *Altierri*, à 1670 ad 1676—Innoc. XI. *Odeschalchi*, à 1676 ad 1689—Alexander VIII. *Ottoboni*, à 1689 ad 1691—Innoc. XII. *Pignatelli*, à 1691 ad 1700.

o3

III. *Script. Eccl.* Innumeros in omni genere præstantissimos scriptores tulit hoc seculum, potissimùm Ludovici Magni ætate : quosdam tantùm ex Ecclesiasticis appellabimus.

Anton. Arnaldus, Doct. Sorbonic. vir summi ingenii et maximâ scribendi facilitate donatus, sed famosus nimis in causâ Jansenii, etiam postquam quinque propositiones damnatæ fuerunt. Dolendum prorsùs sic errasse virum qui fidem Ecclesiæ Catholicæ *de præsentiâ reali*, tam strenuè vindicavit adversùs Claudium, in opere quod inscribitur : *La perpétuité de la foi de l'Eglise Catholique, touchant l'Eucharistie*—obiit 1694—Abalius, Ruthenensis Ep. scripsit *medullam theologicam ;* obiit 1669—Acherius Benedict. scripsit *spicilegium;* obiit 1685—P. Alexander, Dominicanus, edidit eruditas dissertationes in Vet. Testam. Hist. Eccles. Theologiam dogmaticam et moralem ; obiit 1724—Arcudius dedit Concordiam Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis in sacramentorum administratione, obiit 1621—Becanus, Jesuita, accerrimus Hæreticorum impugnator, obiit 1624—Bellarminus Jesuita, Cardinalis, singulari doctrinâ et pietate notissimus, obiit 1621—Bollandus, Jesuita, fundamenta jecit operis immensi, *Acta Sanctorum*, &c. obiit 1665 --opus illud sub nomine Bollandistarum continuârunt Jesuitæ, et usque ad 4um volumen mensis Octobris fuit productum—Bonacina, Referendarius Apostolicus, scripsit opera moralia, obiit 1674—Bossuetus, Divionensis, Doct. Paris. et Meldensis Episcopus, Eloquentiæ flumen. Theologiæ oceanus, malleus Hæreticorum, Ecclesiæ Gallicanæ oraculum et decus, permulta in vario genere scripsit, et omnia accuratè, perspicuè, facundè et nervosè : obiit 1704—Baillet, eruditione et criticâ celebris, edidit, inter alia, vitas Sanctorum fabulis et incertis expurgatas, obiit 1706—Bordaloüs, Jesuita, Præ-

conum verbi divini facilè princeps, obiit 1704—Cornelius à Lapide, Jesuita, Commentaria in scripturam 10 vol. in-fol. edidit, obiit 1637—Comitolus, Jesuita, in dogmaticâ et morali doctus et castigatus, obiit 1626—Chopinus, Andegavensis, edidit præ aliis, tractatum de Hierarchiâ Ecclesiasticâ—Cabassutius, Oratorianus, scripsit theoriam et praxim juris canonici, &c. obiit 1685—Diana, Theatinus, edidit 150 tractatus morales ; obiit 1663—Delrio, Jesuita, Salmanticensis Doct. multa in scripturam et de Theologiâ scripsit; obiit 1608—Deschamps, Jesuita, hæresim Jansenianam confutavit, obiit 1701—Duvallius Prof. Sorb. Theologiam edidit, obiit 1608—Ducasse, Officialis Condomensis, scripsit de Jurisdictione, obiit 1697—Dupin, Doct. Sorb. multa edidit ; at multa etiam castigationem desiderant, obiit 1720—Estius Duacensis Cancellarius, scripsit in Script. sacram, et theologiam ; obiit 1613—Evellonius Andegavensis Canonicus scripsit præsertim de excommunicatione ; obiit 1615—S. Franciscus Salesius multis operibus quæ tenerrimam pietatem spirant insignis, obiit 1622—Fléchier, Nemausensis Ep. eloquens concionator, obiit 1710—Fenelonius, Archiep. Camerac. clarus morum suavitate, pietate amabili omnibusque excellentis ingenii dotibus quæ in operibus suis relucent, obiit 1715—Frassenius Franciscanus, multa scripsit in Scripturam et alias theologiæ partes, obiit 1711—Fagnanus, insignis Canonista Romanus, scripsit eruditissimè de Decretalibus ; obiit 1678——Farinacius juris consultus multa scripsit, obiit 1625—Gerbasius, Doctor Sorbonicus, scripsit inter alia, *De Causis Majoribus*, et de potestate Regum in apponendis impedimentis Matrimonium dirimentibus ; obiit 1699—Gonetus, Dominicanus, Clypeum Theologiæ Thomisticæ edidit ; obiit 1621—Genetus Vasionensis Ep. auctor est Moralis

Grationopolitanæ, obiit 1702—Godellus Venciensis Ep. multa et metricè et solutâ oratione scripsit; obiit 1672—Habertus, Doct. Sorb. Episcopus Vabrensis, Jansenismum validè aggressus est et confutavit, obiit 1668—Habertus alter, Doct. Sorb. dedit Viroduni praxim pœnitentiæ, et Catalauni Theologiam universam, obiit 1718—Henriques, Jesuita, dedit summam Theologiæ moralis, obiit 1610—Huetius, Abrincensis Episcopus, doctissimus, multa eruditè scripsit, quæ inter, eminet ejus *Demonstratio Evangelica*, obiit 1721—Holden, Anglus, Doctor Paris. dedit *Divinæ fidei analysim.* De eodem argumento *Regulam Fidei Catholicæ* scripsit Franc. Veron percelebris ejusdem seculi *Controversista;* opus utrumque maximo cum fructu legetur, ad secernendos articulos fidei, ab iis de quibus disputare possunt inter se Theologi—Juenin Oratorianus scripsit de Sacramentis, et institutiones theologicas quæ Romæ condemnatæ fuerunt, obiit 1713—Labbeus, Jesuita, insudavit cum Cossartio collectioni Conciliorum, cui supplementum dedit Balusius; obiit 1667. Aliam Collectionem seculo sequenti edidit Harduinus, Jesuita—De Lugo, Jesuita, Cardinalis plurima de Theologiâ et Jure scripsit, obiit 1643—Laymantius, Jesuita, edidit Theologiam moralem, obiit 1643—Lessius, Jesuita, scripsit de Jure et Justitiâ, obiit 1621—Launoius, Doctor Parisiensis, eruditissimus, multa scripsit; sed plurima castigationem desiderant—Mabillonius Benedictinus, in antiquis monumentis versatissimus, innumera eruditè scripsit; obiit 1707—De Marca, celeberrimus Jurisconsultus, Tolosensis primùm Episcopus, designatus postèa Archiep. Pariensis, scripsit de concordiâ Sacerdotii et imperii; obiit 1662—Morinus, à Perronio ex Calvinismo ad Catholicam fidem conversus, Oratorianus factus, fuit profundæ eruditionis theologus; obiit 1659—Me-

nochius, Jesuita, breves, sed accuratas dedit in scripturam sacram interpretationes, quarum editionem auxit P. Turneminius multis dissertationibus; obiit 1655—Nicolius, Baccal. Paris. multa scripsit et piè et eruditè. Utinam Jansenismo nunquam favisset! Nihilominùs de Ecclesiâ Catholicâ bene meritus est eximiis suis adversùs Protestantes operibus: *Les Préjugés légitimes; l'Unité de l'Église; Les Prétendus Réformés convaincus de schisme; La perpétuité de la foi sur la présence réelle;* huic ultimo operi allaboravit cum Arnaldo; obiit 1695—Norisius, Card. historiam Pelagianorum confecit, obiit 1704—Pascalius hic appellandus, propter eximium opusculum, *Pensées sur la Religion;* obiit 1662—Papin ex Calvinistâ Catholicus, egregiè scripsit pro catholicâ fide; obiit 1709—Perronius Ebroic. Ep. Cardinalis, Hæreticorum malleus, obiit 1618—Petavius, Jesuita, in Theologiâ dogmaticâ versatissimus, in Chronologiâ profundissimus, obiit 1652—Pezero, ex familiâ S. Bernardi, evangelicam historiam eruditè delineavit; obiit 1706—Polus Londinensis mirâ arte et methodo digessit *Synopsim Criticorum* in S. Scripturam, opus utilissimum; obiit 1679—Raynaud (Theophilus), Jesuita, eruditionis prodigium, edidit 20 vol. in-fol. sed non castigata; obiit 1663—Ruinardius, Benedictinus acta sincera Martyrum collegit; obiit 1709—Suares Jesuita, pietate et scientiâ commendandus, Tractatus theologicos 24 vol. in-fol. composuit, obiit 1677—Salianus, Jesuita, edidit Annales Vet. Test. obiit 1640—Sambovæus, Doctor et Prof. Sorbonicus, casuum conscientiæ solutiones dedit, obiit 1677—Serarius, Jesuita, scripsit commentaria in Scripturam, obiit 1660—Simon (Richard), Oratorianus multa scripsit eruditè, nonnulla audaciùs et castigatus à Bossueto; obiit 1712—Sirmundus, Jesuita, dedit collectionem Conciliorum Galliæ, et

multa alia ; obiit 1651—Spondanus, Apamiensis Ep. dedit compendium Annalium Baronii, et illos prosecutus est ; obiit 1643—Sammartani fratres dederunt Galliam Christianam quam auxit Sammartanus, Benedictinus,et prosecuti sunt sequenti seculo Hodinus et Bricius, Benedictini—Sacy (Le Maistre) Presbyter Parisiensis, meritò celebris variis versionibus quas confecit sacrarum scripturarum, libri *de Imitatione Christi*, et diversorum operum SS. Patrum ; ob. 1684—Sylvius, Duacenæ Univ. decus multis lucubrationibus præfulget, 6 vol. in-fol. contenta dedit opera,obiit 1649—Tannerus, Jesuita, scripsit præsertim de Judice controversiarum, obiit 1632—Thomassinus, Oratorianus, scripsit potissimùm de disciplinâ Ecclesiasticâ, obiit 1695—Tirinus in scripturam sacram doctè scripsit, obiit 1636—Tillemontius, immensâ eruditione scripsit *Mémoires pour servir à l'Hist. Ecclés. &c .Histoire des Empereurs*, &c. obiit 1698—Vasquesius, Jesuita, theologica opera edidit 10 vol. in-fol. obiit 1604—Walton, Anglus Cestriensis Ep. Scripturæ prolegomena exaravit, et adornavit Polyglotta Londinensia ; obiit 1661—Walemburgenses Fratres, ambo Episcopi, exaraverunt 2 vol. in-fol. opera polemica adversùs Protestantes ; ea ipsi contraxere in unicum volumen in-12, quod pluries editum fuit, et Parisiis anno 1768, typis *Barbou*, pretiosum opus theologiæ candidatis ; obiere 1669—1675—Witassii Sorbonici Professoris opera eruditione plena, obiit 1715. Multos alios omittere cogit brevis hujus libelli ratio.

IV. *Ord. Reg.* &c. Congregatio Benedictinorum S. Mauri ortum ducit à reformatione factâ in Lotharingiâ à *P. de la Cour*, anno 1600. Lemovicis introducta anno 1613, et deinceps per totam Galliam ; ut sit avitæ pietatis et scientiæ indagatrix et amatrix—Anno 1604, revocantur in Galliam

Jesuitæ, qui anno 1594 Parisiensi Senatus-consulto expulsi fuerant—Doctrinariorum familia à Cæsare Busæo, qui obiit 1607, ortum habuit ad rudes catechisandos et pauperes evangelisandos—Oratorii Gallicani auctor est Card. Berullius, qui anno 1611 seculares Presbyteros congregavit, ut, sub Jurisdictione Episcoporum, hac aptum pueris et solidum adultis cibum præberent—Congregatio Canonicorum Regularium S. Genovefæ, reformata anno 1624 à Carolo Faure, protegente Cardinali de Rupefulcaldinâ—Congregatio Missionis, sive Lazaristarum anno 1625 à S. Vincentio à Paulo, qui obiit 1660, instituta ad mores Clericorum formandos et Laïcorum reformandos—Familia Presbyterorum S. Nicolaï è Chardoneto, ab Adriano Bourdoisio, anno 1631, instituta ad plebem clerumque reformandum—Sansulpitiana Presbyterorum secularium Societas, anno 1642, ab Olerio Abbate adunatâ, ad Sacerdotii candidatorum institutioni, sub Episcoporum beneplacito, allaborandum—Eudistarum Ecclesiastica societas, ab Eudesio qui obiit 1680, cœpit in Normanniâ anno 1643, ut clerici in Seminariis ad perfectionem Ecclesiasticam, et Christiani in Missionibus ad perfectionem christianam adducantur—Trapensium Ordinis Cisterciensis reformatio instituta anno 1662, ab Armando *le Bouthillier de Rancé*, ut religiosi in arctâ viâ quæ ducit ad vitam, arctissimè sed velocissimè, gradiantur.

V. *Principes*—In Germaniâ, Rodolphus II. obiit 1612—Mathias, obiit 1619—Ferdinandus II. obiit 1637—Ferdinandus III. obiit 1657—Leopoldus Ignatius, obiit 1705: anno 1683, Vienna obsessa est à Turcarum exercitu numero 200,000, duce Carâ Mustaphâ Mahumetis IV. ministro; at victus à Sobieski Polonorum rege, levi cum copiarum manu, ejus exercitus dilapsus est—In Hispaniâ, Philippus II. obiit 1598—Philippus III. anno

1610, ex Hispaniis expulit Mahumetanos Mauros, qui exierunt numero 900,000; ipse obiit 1621—Philippus IV. obiit 1665—Carolus II. obiit 1700—In Angliâ, Jacobus I. Mariæ Stuartiæ filius, litterarum amans, regnavit à 1603 ad 1625; sæviit in Catholicos: in pace continuit duas præcipuas magnæ Britanniæ sectas, quarum una dicitur Anglicana, seu Episcopalis, quia Ecclesia Anglicana, à Cramnerio pseudo-reformatore reformata, Episcopos retineri voluit, altera est Presbyteranorum seu seniorum Ecclesias regentium, dicta etiam Puritanorum, quia nihil immutatum volunt Calvinianæ reformationi, quam dicunt purgatam ab omnibus Romanæ Ecclesiæ superstitionibus—Successit Carolus I. qui Episcopalibus præ Puritanis favit impensè: ejus subditorum furor eò usque prorupit ut, omnem humanitatis sensum excutientes, suo regi vitam crudeliter eripuerint anno 1649. Ad horrendum hoc facinus expiandum, jejunium solemne, singulis annis, in Angliâ celebratur die 30 Januarii quæ dicitur in liturgiâ, *Dies Martyrii Caroli I.*—Olivarius Cromvellus, præcipuus hujus sceleris auctor, Protectoris Reipublicæ Anglicanæ nomen usurpavit et retinuit usque ad 1658, quo obiit—Deindè anno 1660, solium obtinuit Carolus II. qui obiit 1685: tunc Jacobus II. regnavit, et quia Catholicæ religioni favebat, à suis subditis expulsus anno 1689, à Ludovico Magno splendidè exceptus fuit, et regali palatio, suppellectili, comitatu ac fortunâ cum suis auctus, obiit anno 1701. Intereà Guillelmus Arausicanus Princeps, Jacobi gener, Magnæ Britanniæ solium occupat, obiit 1702—In Galliâ Ludovicus XIII. æquitate, pietate et armis illustris, anno 1638 se et Gallias Beatæ Mariæ Virginis tutelæ solemniter consecravit—Successit Ludovicus XIV. bello et pace *Magnus*, religione *Major*. Eo regnante Gallia ad supremum splendoris gradum evecta est,

et omnis sua autoritas asserta Religioni quam ipse Rex corde et animo venerabatur. Regiis impensis curavit Missionarios Christi nomen portare Gentibus usque ad ultimas terras, obiit 1715.

VI. *Novatores*—Arminiani ab Arminio Theologiæ professore in Academiâ Leydensi, Bataviæ proceribus à Gomario collegâ denuntiatus est tanquàm hæreticus, qui deseruerat rigidos Calvini de gratiâ et prædestinatione sensus; obiit Arminius 1609—Convocata est, anno 1618, Synodus Dordracena apud Batavos, quæ Arminianos damnavit, omnibus impositâ lege absolutâ obtemperandi: attamen nunc soli Genevenses duriora Calvini systemata tuentur. Arminiani dicti sunt *Remonstrantes*, quia libellum supplicem exhibuerunt Bataviæ proceribus; Gomaristæ verò, qui libellum impugnârunt, dicti sunt *Contra-remonstrantes*. Plures fuerunt famosi Calvinianorum pseudo-ministri, præsertim Molinæus, Claudius et Jurius, qui, pro virili parte, etiam mutatis quibusdam opinionibus, Calvinianorum errores propugnare conati sunt. Bailius qui fuit Calvinista, aut potiùs omnis religionis irrisor, nefandissimum scripsit Dictionarium à quo tamquam à peste abstinendum—Richeristæ à Richerio Doctore Parisiensi, qui edidit librum de Ecclesiasticâ et Politicâ potestate, in quo omnem auctoritatem in membris, primariò et essentialiter residere contendebat; volebat *v. g.* jus de fide judicandi et peccatores excommunicandi essentialiter in totâ fidelium societate residere, undè Pastoribus communicatur. Damnatus est in Concilio Senonensi anno 1612. Huic judicio acquievit.

Janseniani dicti sunt à Jansenio, Doctore et Professore Lovaniensi, deindè Episcopo Yprensi; indefesso studio elaboravit librum qui inscribitur *Augustinus*, quia judicabat se sanam S. Augustini doctrinam, circà gratiam et liberum arbitrium, ut dice-

bat, à 500 annis à scholis exulem revocaturum. Extincto Jansenio anno 1638, editus est ejus liber et statim ab Urbano VIII. Bullâ *in eminenti*, anno 1641, proscriptus fuit. Anno 1649, Cornetus quinque propositiones, ex eo libro excerptas et à candidatis propugnatas, detulit Doctoribus Parisiensibus, qui eas detulerunt Episcopis. Gallicani Præsules scripserunt anno 1650 ad Innoc. X. qui post maturum duorum annorum examen, anno 1653, solemni Constitutione, *Cum occasione*, damnavit quinque sequentes propositiones.

1a. *Aliqua Dei mandata hominibus justis, volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.* Hæc propositio declaratur temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata et hæretica.

2a. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Hæc propositio declaratur hæretica.

3a. *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Hæc propositio declaratur hæretica.

4a. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in eo erant hæretici, quod vellent eam gratiam esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Hæc propositio declaratur falsa et hæretica.

5a. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Hæc propositio declaratur falsa, temeraria et scandalosa ; et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, declaratur impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans et hæretica.

Constitutionem Innoc. X. approbavit universa Ecclesia. Hoc fulmine attoniti fuere Jansenisani; collectis tamen animis affirmârunt eas propositiones damnatas tantùm fuisse quoad *jus et dogma*, sive in se absolutè; non verò quoad *factum*, sive *in sensu* libri Jansenii. At Alexander VII. anno 1656, celebri Bullâ *Ad sacram..sedem*, declaravit quinque propositiones fuisse expensas et damnatas *in sensu* ipsius libri Jansenii, et sic ab omnibus esse damnandas: cum autem Janseniani eas propositiones sic damnare renuerent, atque ut omnis eludendarum Apostolicarum definitionum intercluderentur aditus, Alexander VII. anno 1665, ad postulationem Cleri Gallicani, formulam præscripsit, in Bullâ *Regiminis*, ab omnibus subscribendam, his conceptam terminis.

Ego infrà scriptus, Constitutioni Apostolicæ Innocentii X, datæ die 31 *mensis Mai* 1653, *et Constitutioni Alexandri VII. datæ* 16 *Octobris* 1656, *Summorum Pontificum, me subjicio; et quinque Propotiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* Augustinus, *excerptas, et* in sensu ab eodem auctore intento, *prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio et damno, et ità juro; sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

Tunc Janseniani rigidiores negârunt id subscribi posse, nisi à perjuro; at perjurium hoc non timuere molliores; multi voluerunt in subscriptione Formularii distingui *jus* seu dogma, à *facto dogmatico* sive ab attributione propositionum libro Jansenii; *juri* seu dogmati definito internum quidem fidei et mentis assensum deberi; *facto* autem *dogmatico*, seu attributioni propositionum libro Jansenii, circà quod Ecclesia, inquiebant, non est infallibilis, solùm præstari posse silentium religiosum. Id declaraverunt in suis mandatis quatuor

Episcopi, nempè Andegavensis *Arnaldus*, Alectensis *Pavillon*, Bellovacensis *Busenval*, et Apamiensis *Caulet*. In jus vocati sunt illi Episcopi ab Alexandro VII. et posteà à Clemente IX. qui ad preces mediatorum quorumdam præsulum, anno 1669 quatuor rebelles ad pacem et communionem admisit ; nulla tenùs tamen approbavit, ut patet ex ejus brevibus, distinctionem *juris à facto dogmatico* in subscriptione clam factâ ab Episcopis, quam ignorabat SS. Pontifex. Ab eo tamen tempore Janseniani, more Novatorum, æquivocationibus et restrictionibus mentalibus (quas abhorrere profitentur) usi sunt in subscribendo Formulario, sic involuti non facilè produntur ; hinc asseruerunt Jansenismum esse merum phantasma ; sed hæc propositio damnata est à Clero Gallicano in Comitiis 1700 : abusi sunt etiam Brevi quodam ab Innoc. XII. ad Episcopos Belgii misso, quo declaratur sufficere si, subscribendo, damnentur propositiones in sensu obvio libri Jansenii. Circà annum 1700, asseruerunt non posse denegari absolutionem sacramentalem nolenti damnare propositiones in sensu Jansenii, at hujus conscientiæ casûs solutio, anno 1705, solemniter damnata est à Clemente XI. in Bullâ *Vineam Domini*, in quâ asserit Jansenianos abuti auctoritate Clementis IX. et Innoc. XII. porrò hæc Bulla, sicut omnes aliæ contrà Baïum et Jansenium latæ, summo cum plausu ab universâ Ecclesiâ sunt receptæ.

Hic est Jansenianus propriè dictus et rigidus qui credit 1°. in præsenti statu voluntatem non agere, nisi ex majori *indeliberatâ* delectatione *relativâ* cœlesti vel terrestri, id est gratiâ vel concupiscentiâ. 2°. Gratiam omnem ità esse semper efficacem, ut semper obtineat effectum ad quem *relativè* ordinatur ; undè nec ei resistitur nec illi *potest resisti*, privando eam effectu quem

habere potest *relativè*. 3°. Libertatem meriti stare posse cum necessitate simplici, antecedente, *relativâ*. 4°. Deum sincerè, affectivè non velle salutem æternam *aliorum quam Prædestinatorum*. 5°. Christum non obtulisse Patri sanguinis sui pretium, pro salute æternâ *aliorum quam Prædestinatorum*.

Primus Jansenismi promotor, et fortè auctor fuit Abbas Sancyranus *de Hauranne du Verger*, qui obiit anno 1643—Secundus fuit Antonius Arnaldus, qui anno 1642 apologiam pro Jansenio edidit. Cum pertinax in Jansenianarum propositionum defensione persisteret, ex Doctorum Sorbonicorum numero expunctus est, anno 1656—Tertius, fuit Quesnellus Oratorianus, cujus 101 Propositiones, ex libro *Considerationum moralium* extractæ, à Clemente XI. proscriptæ sunt celeberrimâ Constitutione *Unigenitus* ab omni Ecclesiâ receptâ.

Laxioris et rigidioris disciplinæ Propositiones plurimæ *in globo* damnatæ sunt à Clemente VIII. anno 1602, de confessione per litteras—ab Alexandro VII. anno 1665, Propositiones 28—Anno 1666, Propositiones 45—ab Innoc. XI. anno 1679, Propositiones 65—Anno 1682, de sigillo confessionis una—ab Alexandro VIII. anno 1690, Propositiones 31, et eodem anno duæ de peccato philosophico—anno 1700 à Clero Gallicano in Comitiis damnatæ sunt Propositiones 127; porrò laxiores illæ opiniones natæ videntur ex probabilismo, id est, ex principio falso, à multis hoc seculo propugnato; nimirùm unumquemque posse in moralibus eam sententiam sequi quæ minùs probabilis apparet, relictâ probabiliori.

Quietistæ sunt falsi quidam mystici quorum hæc sunt præcipua placita. Anima in superiori perfectionis gradu et Deo intimè unita stare debet in perfecto quietismo, nihil petens, nihil de-

siderans nec suam salutem, nihil metuens, nec ipsas inferni pœnas. In Deo tota absorpta, illa tota pascitur in quietudinis oratione ; atque in hoc statu ei prorsùs indifferentia evadunt cogitationes quæcumque, quæcumque desideria, acta etiam vel impuriora, cùm hæc tunc pertineant ad partem infimam animæ, non ad supernam totam Deo inebriatam, quæ proindè ex his perturbari non debet. Monstruosum hunc errorem, qui fuit olim plurimarum Sectarum, renovavit 17° seculo Michaëlis Molinos Hispanus presbyter. Propositiones 68, ex ejus operibus extractæ, damnatæ fuerunt ab Innoc. XI. an. 1687.

Turpis hic et infamis Molinosi quietismus is non fuit cui favit Domina *Guyon*, cum Fenelonio Arch. Camerac. iste purior certè erat, sed ex eodem falso principio manabat, et gravissimis erroribus viam aperiebat: hinc Innoc. XI. 23 prop. extractas ex libro *de Placitis Sanctorum* damnavit in globo anno 1699 ; non tamen ut hæreticas. Huic censuræ statim ex animo acquievit Auctor non minùs humilitate et obedientiâ, quam ingenio, facundiâ, scientiâ, et pietate illustris, sicque finitus fuit error.

Synopsis decimi-octavi Ecclesiæ Seculi.

1. ANNO 1725, celebratum est Romæ Concilium præside Benedicto XIII. SS. Pontifice, in quo declaratum est, Constitutioni *Unigenitus* sincero animo ab omnibus parendum esse — Anno 1727, celebratum est Conc. Ebredunense in Del-

phinatu, præside Tensino Cardin. Arch. Lugd. et regni administro. In eo Conc. D. *Soanen*, ab omni officio tum Episc. tum Sacerd. suspensus est, ob ejus pertinacem novitatibus adhæsionem.

II. *Rom. Pont.*—Clemens XI. *Albani*, à 1700 ad 1721, doctrinâ et pietate commendandus, bis recusato Pontificatu illustris, illoque difficillimis temporibus prudenter gesto illustrior—Innoc. XIII. *Conti*, à 1721 ad 1724—Benedictus XIII. *Orsini*, Dominicanus, sanctitate illustris, à 1724 ad 1730. —Clemens XII. *Corsini*, à 1730 ad 1740—Benedictus XIV. *Lambertini*, à 1740 ad 1758—Doctissimum hunc Pontificem inter Scriptores hujus seculi iterùm appellabimus—Clemens XIII. *Rezzonico*, à 1758 ad 1769—Clemens XIV. *Ganganelli*, Franciscanus, à 1769 ad 1774—Die 21 Julii an. 1773, Bullam promulgavit quâ extinxit ordinem *Societatis Jesu*, atque illius membra vitæ communi restituit—Pius VI. *Braschi*, titulis omnibus spectatissimus, genere, scientiâ, pietate, prudentiâ, mansuetudine, beneficentiâ, liberalitate in egenos omnes: hunc Pontificem Deus voluit, difficilioribus quæ unquam extiterunt temporibus, Ecclesiæ suæ præesse, ut in sacro monte positus, omnibus Christi fidelibus et scientiâ luceret, et charitate arderet. Multos annos adhuc vivat optimus Pontifex ad Ecclesiæ decus et tutamen!

A Pontificatu Clementis XIV. publicari desiit Bulla *in Cœnâ Domini*, quæ illâ die, singulis annis, Romæ a longo tempore solemniter promulgabatur.

III. *Script. Eccl.*—Innumeri fuere de Religione et Ecclesiâ benè meriti, eruditis in S. Scripturam lucubrationibus; accuratioribus operum SS. Patrum editionibus; Tractatibus theologicis de *Dogmate* et *Morali*; collectis Histor. Eccles. monu-

mentis; sacris concionibus; aliis demùm operibus, sive asceticis ad pietatem promovendam apud omnes cujuscumque sexûs, ætatis, et conditionis Fideles, sive polemicis adversùs hæreticos qui Ecclesiam Catholicam, aut incredulos qui Religionem Christianam omibus artibus impugnarunt. E tot et tantis viris paucos tantùm appellare sinit præsens hoc institutum.

Primo ordine, non ex dignitate tantùm, sed et ex doctrinæ sacræ affluentiâ laudandus S. Pontifex Benedictus XIV. cujus opera 16 voluminibus in-fol. comprehenduntur, scripsit de multis—de canonisatione Sanctorum; quod quidem argumentum ita discussit, ut nihil desiderandum supersit—de institutione festorum in honorem Jesu Christi et B. Mariæ Virginis—de sacrificio Missæ et aliis; edidit Institutiones Ecclesiasticas de innumeris ad disciplinam pertinentibus. Canonici juris non minùs quam S. Theologiæ peritus, atque in omnibus omnium Ecclesiarum monumentis versatissimus, scripsit eximium opus, *De Synodo Diœcesanâ*, libris 13 comprehensum; nullum certè magis abundat gravioribus quæstionibus, et sapientioribus responsis; omnibus Theologis summæ utilitati est, ab illis nunquam satis evolvendum, ut et ejusdem S. Pontificis *Bullarium* in quo multa solvens, certa dat principia ad plura solvenda.

Argentré (D') Doctor Sorbonicus, Episcopus Tullensis, edidit pretiosam collectionem *Judiciorum* S. Facultatis Parisiensis, 3 vol. in-fol. obiit 1740—Babin, auctor Andegavensium Collationum; opus istud sat celebratur variis ejus editionibus quæ singulæ ab eruditis viris recognitæ fuerunt; obiit 1734—Bergier, Presbyter Vesuntiensis, Ecclesiæ Parisiensis Canonicus, scientiâ et modestiâ commendabilis, multis operibus debellavit *Rousseau*, *Freret*, t alios ætatis nostræ incredulos; obiit anno 1790—

Berthier, Jesuita, in Divinis Litteris et aliis versatissimus, cum incredulis constanter manus conseruit, illosque expugnare non destitit in Diario Trevoltensi (*de Trevoux*) quod tot annis multâ cum omnium bonorum laude digessit: ultimus fuit è continuatoribus Hist. Ecclesiæ Gallicanæ a P. Longueval inceptæ. Suis studiis ereptus confecit pia atque erudita commentaria in *Psalmos* et *Isaiam*; obiit 1782—Buttler, Presb. Anglus, Præses Collegii Audomarensis in Galliâ, anglicè scripsit *vitas Sanctorum*, 12 voluminibus; pius, eruditus et sagax criticus, obiit 1782. A Critico, non minùs pio, erudito et sagaci gallicè translatum fuit opus 12 volum. at bis editum typis *Barbou*—Bullet, in Academiâ Vesuntianâ Theologiæ Professor, clarus multis operibus, et maximè suis Responsis criticis adversùs incredulorum objectiones, et suâ historiâ de institutione Christianæ Religionis ex solis Ethnicis Auctoribus. Utrumque opus gallicè editum; ultimi ideam illi, ut probabile est, suggessit opus de simili argumento, priùs editum à *P. Coloniâ* Jesuitâ. Iste obiit 1741, et *Bullet* 1775—Bissy Card. Ep. Meldensis, Documenta Pastoralia, adversùs Jansenium et Quesnellum perspicuè et nervosè scripsit; obiit 1737—Calmetus, Benedictinus, Abbas (de Senones) in Lotharingiâ, cujus opera, et maximè Commentaria in Sacram Scripturam omnibus nota, omniumque Theologorum manibus trita, auctorem satis commendant; obiit 1757. Primo huic et *fundamentali* operi de Scripturâ quasdam dissertationes criticas addidere Dus *De Vence*, Doctor Sorb. Capituli Nanceiensis Ecclesiæ Primarius, et Dus Rondet laïcus, indefessus scriptor, in sacris litteris versatissimus, sed in multis abreptus præjudiciis quæ ex Jansenianâ sectâ hauserat; obiit 1785. DD. De Vence et Rondet in Bibliis suis adhibuerunt versionem multâ lau-

de dignam P. Carrieres Oratoriani, qui obierat an. 1717—Cellier, Benedict. Auctorum Ecclssiastico rum Historiam gallicè texuit 23 vol. obiit 1761—Collet Presb. è Cong. Mission. S. Laz. scripsit de universâ ferè theologiâ dogmaticâ et morali, de officiis Pastorum, Regularium, et Laicorum, &c. &c. maximâ scribendi facilitate donatus, utinam illi non tam indulsisset; sed ejus opera inoffenso pede legi possunt, et maximæ sunt utilitati junioribus Theologis et aliis; obiit 1770—Concina, Jesuita, de rebus theologicis eruditè disseruit; obiit 1756—Drouin, Dominicanus, Doct. Paris. scripsit de Sacramentis 2 vol. in-fol. obiit 1742—Duguet, Oratorianus presbyter, permulta opera facundè et eruditè edidit, quæ omnia et maximam sacrarum litterarum scientiam probant, et teneram pietatem spirant: ut absolutissimum opus habetur illud cui titulus, *Principes de la foi*. Si partibus Arnaldi et Quesnelli adhæsit, semper temperatus visus est in suâ dicendi, scribendi et agendi normâ, et abhorruit à convulsionibus, dicteriis, injuriosis libellis et aliis artibus quibus usi fuere sectarii ad suos errores propagandos—Fleury, Abbas (*du Loc-dieu*) Regi à Confessionibus, pius et eximius scriptor, atque sagacissimus criticus, multa edidit pueris et senibus, dominis et famulis, clericis ut et laicis perutilia. Historiam Ecclesiasticam, pretiosis adornatam procemiis, dilucidè exaravit 20 voluminibus, usque ad an. 1414: obiit 1723, magnum suî desiderium relinquens pro subsequentibus temporibus quorum historiam, usque ad an. 1595, 16 voluminibus texuit P. Fabre Oratorianus. Generalistotius operis index a D. Rondet uno volumine in 4° comprehensus fuit—Gibet Juris et Theolog. Doctor scripsit corpus Juris canonici, consultationes canonicas in Sacramenta, Traditionem Ecclesiæ de Sacr. Matrimonii, 3 vol. in 4; notas apposuit *Juri Ec-*

elesiastico D. Van-Espen ; obiit 1736—Giraudeau, Jesuita, scripsit *Praxim Linguæ Sacræ* in 4, ablegat puncta vocalia, sed diversâ methodo ac Masclef. exaravit opus eximium, *L'Évangile médité* ; obiit an. 1774—Harduinus, Jesuita, Litterati Orbis portentum, novam edidit Conciliorum collectionem, in antiquitate excolendâ simul et tollendâ pervicacissimus ; obiit 1729—Hericourt, Juris-consultus Parisiensis, suo ordine, et distinctis sententiis, clarâ methodo digessit *Leges Ecclesiasticas Galliæ ;* alia etiam scripsit ; obiit 1753—Houdry, Jesuita, ordinavit Bibliothecam Concionatorum, 22 vol. in 4°. ob. 1729—Helyot Trin. Ord. S. Franc. adornavit historiam variorum ordinum Regularium, 8 vol. in 4, obiit 1715—Houbigant, Oratorianus, in Linguis Orientalibus versatissimus, novam editionem Bibliorum Hebraïcorum absque punctis vocalibus, et versionem confecit, additis Prolegomenis, præfationibus in varios Script. libros, et notis, quæ maximam auctoris et eruditionem et sagacitatem probant ; in nonnullis tamen, et maximè in corrigendo ad libitum textu, ubi aliqua ipsi occurrit difficultas, non fuit sat temperatus ; obiit 1783—Kennicott, Anglus, Doct. Oxoniensis, collegit, infinito labore, 2 vol. in-fol. *variantes* lectiones Hebraïci textûs Vet. Testam. ex omnibus manuscriptis melioris notæ quos in Europâ consulere potuit ; obiit 1783—Ineunte hoc seculo Græci textus novi Testamenti *variantes* summâ curâ collegerat Millius Doct. Oxoniensis, illisque affixerat Prolegomena multa eruditione referta ; obiit 1707—Opus utrumque utilissimum certè iis omnibus qui studio S. Scripturarum incumbere volunt ; et ex illis adversùs incredulos demonstratur *variantes* Scripturarum, quocumque sint numero, nullatenùs illarum authenticitati officere ; quippe quod omnes propè sint de locis quæ ad substantiam rerum non pertinent, et si

quædam de illis inveniantur, facilè ex manuscriptorum collatione et aliis critices regulis ad veram lectionem revocantur—Ladvocat, Doct. et Professor Sorbonicus, in Sacris Litteris et aliis etiam versatissimus, orientalium linguarum maximè peritus, exaravit Grammaticam Hebraicam, scripsit de Conciliis in genere, et nonnullas edidit dissertationes de variis S. Script. locis; obiit 1765—Lami Oratorianus edidit Apparatum biblicum et alia; obiit 1715—Languet, Senonensis Archiep. multa nervosè scripsit in Jansenianam hæresim, &c. obiit 1753—Longueval, è Soc. Jesu, scripsit historiam Ecclesiæ Gallicanæ, usque ad 9um volumen; illo defuncto an. 1735, eamdem persecuti sunt usque ad annum 1559. PP. Fontenai, Brumoi, Berthier, ex eâdem societate—Macquer, Jurisconsultus Parisiensis, 2 vol. in 8. compendiosè delineavit Historiam Ecclesiasticam, juxtà methodum illust. Præsidis Henault pro Galliarum historia; ob. 1770. Idem opus, 3 voluminibus, editum est anno 1768; sed cautè legi debet, cùm in multis erret vel auctor, vel editor—Marsollier Arch. Usetiensis, plurimorum Sanctorum vitas et alia scripsit; obiit 1727—Masclef, Canonicus Ambianensis, litter. oriental. peritus, novam adornavit methodum legendi textum Hebraicum absque punctis vocalibus. Grammaticam Hebraicam confecit, ut suum systema probabile redderet, et reverà multos, vel inter eruditissimos Hebraisantes, patronos habuit; obiit 1728—Massillon, Orat. Episcopus Claromontensis, quo nullus inter verbi divini præcones facundior, nullus intimâ cordis humani indagatione, atque analysi sagacior; obiit 1742—Mauduit Orat. eximiam Evang. Act. Apost. et Epist. S. Pauli analysim scripsit; obiit an. 1709—Merre (Le) Jurisc. Paris. 12 vol. in-fol. collegit acta Cleri Gallicani; obiit 1729—Anno 1762 Clerus Gallicanus

statuit in unum colligendos esse suos *Processus verbales*, qui innumeris voluminibus sparsi erant, et quorum plures manuscripti tantùm aut fuerant, aut inveniebantur. Opus prodiit successivè 7 voluminibus comprehensum, et *Processus verbales* exhibet usque ad annum 1745. Multùm pretiosæ sunt duæ illæ collectiones, quæ tot exhibent monumenta ad illustrem Galliarum Ecclesiam spectantia—Montfaucon, Benedict. vir infinitæ memoriæ et eruditionis, multa scripsit, et potissimùu Antiquitatum cum supplementis 15 volumina; novam confecit editionem operum S. Athanasii et S. Chrysostomi, &c, &c. obiit 1741—Muratori, Italus, verè prodigium eâ quâ affluebat in omnibus scientiâ, scripsit innumera opera; ex illis plurima sunt de rebus theologicis; excellens Auctoris judicium probat illud quod inscripsit, *Lamindi Pritanii, de ingeniorum moderatione in religionis negotio*—Pontas Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarius, confecit vocabularium de casibus conscientiæ 3 vol. in-fol. obiit 1728—Anno 1732, 2 volum. edita fuere Responsa de Casibus Conscientiæ, data à D. D. De Lamet et Fromageau Doct. Sorbonicis—Pouget, Oratorianus, orthodoxæ fidei documenta dilucidè et accuratè contraxit in Catechismo Mons-pessulano (de Montpellier). Opus illud Latinè transtulit P. Desmolets ex eâdem Orotorii Congreg. addidit in integro omnes textus, tum S. Scripturæ, tum Concil. tum SS. PP. qui in opere tantùm citantur; illæ *Institutiones Catholicæ*, 2 vol. in-fol. comprehensæ, haberi possunt ut corpus integræ theologiæ: obiit P. Pouget an. 1723. Notandum nonnullas Gallicas editiones eximii istius operis erroribus Jansenii et Quesnelli aspersas fuisse—Quien (Le) Dominicanus, *Orientem Christianum* exaravit 3 vol. in-fol. edidit opera S. Joan. Damasc. et scripsit adv. Le Courrayer, de *nullitate Ordin. Anglicana-*

rum, &c. ob. 1733—Renaudot, Presb. Paris. Historiæ et Oriental. linguarum peritissimus, multa eruditè scripsit de Orientalibus liturgiis, et aliis; obiit 1720—Scheffmacher, Jesuita, versatissimus in polemicis adversùs Protestantes, scripsit 12 epistolas quæ maximo sunt in pretio, de articulis a Protestantibus controversis: hæ epistolæ editæ iterùm fuerunt 3 vol. an. 1769 à præstantissimo viro D. Terrisse, Doctore Sorb. et Decano Ecclesiæ Rothemagensis, qui et ipse addidit unam epistolam *de præsentiâ reali*, dignam quæ 12 aliis annumeretur; obiit Scheffmacher 1733, et Ven. Decanus an. 1785—Semelier, Congreg. Doct. Christianæ Presb. auctor est Collationum Parisiensium de *Matrimonio, usurâ*, &c. obiit 1725—Sevoy Congreg. Eud. Presb. de Clerico ritè ad ordines suscipiendos instituendo, et de Ecclesiasticæ militiæ officiis, nervosè et oratorio stylo scripsit; obiit an. 1765—Turnelius, Doct. et Prof. Sorbonicus, admodùm celebris, multos tractatus theologicos clarâ et optimâ scribendi ratione concinnavit; obiit anno 1729—Turneminius, Jesuita, mirâ eruditione et scientiâ clarus, Diarium Trevoltense exaravit multis annis; dedit editionem Menochii quam adornavit multis maximi pretii dissertationibus; obiit 1739—Van-Espen, Juriscons. et Doct. Lovaniensis, celeberrimus Canonista, scripsit *Jus Ecclesiasticum universum;* in hoc opere optimâ methodo digesto, fatentur omnes maximam elucere et veteris et novæ disciplinæ Ecclesiæ scientiam. Principiis de Jurisdictione Ecclesiasticâ, quæ tam solidis argumentis confirmaverat, si firmiùs ipse adhæsisset, nunquàm ut canonicas approbavisset electionem et consecrationem schismaticam Ultrajectensis Episcopi, et fugisset omnes Sectariorum partes; obiit 1728.

IV. *Principes*—In Germaniâ Josephus, à 1705 ad 1711—Carolus VI. ultimus Austriacæ stirpis Imperator, à 1711 ad 1740—Carolus VII. Bavarus, à 1740 ad 1745—Franc. Stephanus, Lotharingius, à 1735 ad 1763—Josephus II. Archidux, electus anno 1765—Leopold II. electus an. 1790—Franciscus IV. el. an. 1792—In Hispaniâ, mortuo Carolo II. ultimo Caroli V. nepote, successit Philippus V. Borbonius, obiit 1745—Ferdinandus VI. usq. ad 1759—Carolus III. usque ad 1788—Carolus IV. nunc regnans—In Angliâ, Guillelmo defuncto suffecta est Anna Daniæ Principissa, secunda Jacobi II. filia quæ obiit an. 1714—Successit Georgius I. Brunsvikæus, Hannoverius Elector, à 1714 ad 1727—Georgius II. à 1727 ad 1760—Georgius III. nunc regnans, publicis et domesticis virtutibus Regum exemplar, Suorum Pater atque etiam Alienigenarum, quibus dirâ tempestate jactatis tutum in Britannico imperio portum præbuit—In Galliâ Ludovico Magno è vivis erepto an. 1715 successit Ludovicus XV. cognomine *Le bien-aimé*, solium tenuit usque ad an. 1774; ei successit, nepos ex Filio Delphino tot virtutibus ornato, Ludovicus XVI. solemniori pompâ coronatus 11a Julii die, an. 1775. Tunc incredibili non tantùm Gallorum omnium sed et exterorum applausu exceptus est Princeps justitiâ, clementiâ et sanctis moribus inclitus, totusque spirans et publicas Imperii et privatas subditorum suorum prosperitates. Illius regni prima initia fausta et splendida—Quàm diversa eum manebant fata!—Sed his omnibus fortior fuit Rex, nec prosperis elatus, nec fractus adversis—In mediâ procellâ, cum horribilior esset, confecto testamento, quod piæ ergà Deum et Homines, sanctæ et tranquillæ mentis monumentum erit perenne—mirâ Dei providentiâ, Catholicæ Ecclesiæ

sacramentis munitus—*ipse consolatus lugentes—vidit ultima magno spiritu*, die 21 Januarii 1793—Quæ in Galliis secuta sunt quis ignoret ?....

V. Quæ præcesserunt ætates, insignes sunt institutione aut reformatione Ordinum et Congregationum quæ fuere decus et ornamentum Ecclesiæ Catholicæ. In duobus ultimis seculis demirari licuit *pium* (ut vocant P. P. Tridentini sess. 25 de Regul. cap. 16) *Institutum* Societatis Jesu, tot et tantis viris celebre, et maximè tot optimis Magistris in juventute ad pietatem simul et ingenuas artes informandâ, quibus àmissis, nulla jam in plerisque Galliarum provinciis extitit bona juventutis educatio. Demirari etiàm licuit tot Congregationes, sivè virorum qui parvulis et pauperibus *evangelizarent*, aut clericos ad sacram militiam disponerent ; sivè virginum Deo sacrarum quæ pueris et senibus, infirmis et ægrotis essent auxilio. Hæc, et similia præcedentium seculorum prodigia, paucorum mensium intervallo in Galliis, communi rerum omnium divinarum clade, perierunt.

VI. *Novatores*—Quesnellus, in opere; *Réflexions morales sur le N. Testam.* sub fallaci piarum considerationum cortice, omnes Jansenii errores renovavit. Propositiones 101 ex hoc libro excerptæ damnatæ fuerunt a Clemente XI. Bullâ datâ die 8 Septembris 1713, quæ incipit. *Unigenitus Dei Filius*, et ab universâ Ecclesiâ acceptata fuit. Quesnelli et Jansenii asseclæ nihil non moliti sunt integro hoc seculo ut dogmatici istius judicii vim infringerent ; artes quascumque adhibuerunt, appellationes, *convulsiones* crudelitate, et nonnumquam obscenitate atque impietate infames, ementita miracula, et maximè constantem adversùs S. Pontificem et primos Ecclesiæ Pastores rebellionem—Eheu ! pars magna fuerunt in iis quæ subsecutæ sunt Ecclesiæ Catholicæ ruinis—Justinus

Febronius, Auctor pseudonymus, vero nomine *Hontheim*, Episcop. *in partibus* Myriophitensis, Trevirensis Archiep. suffraganeus, circà annum 1770 edidit, *De statu Ecclesiæ et legitimâ potestate Rom. Pontificis librum singularem*, in quo multa erant contraria Catholicæ doctrinæ *de primatu honoris et jurisdictionis, jure divino, S. Pontificis*, et renovabantur etiam Richerii errores de potestate Pastorum in Ecclesiâ. Opus istud avidè exceptum fuit ab omnibus malevolis in Sanctam Sedem ; sed ipse auctor errores suos revocavit instrumento publico quod misit anno 1778 ad S. Pont. Clementem XIII. obiit anno 1790—Scipio De Ricciis, Episc. Pistoriensis (de Pistoa) anno 1786. Synodum Diœcesanam coegit, ibique in decretis de rebus ad fidem et disciplinam pertinentibus renovavit multos errores Baii, Jansenii, Quesnelli, Richerii, et alios addidit quibus subvertebantur et Hierarchia et Disciplina Ecclesiæ. Propositiones 85 ex illius Synodi Decretis damnavit Pius VI. suâ constitutione datâ 31 Aug. 1794, notis singulis propositionibus affixis.

Anno 1790 in Galliis divulgata fuit a Conventu nationali *Constitutio civilis Cleri Gallicani ;* et illam juramento præstito acceptare jussi sunt omnes Episcopi et alii Ecclesiæ Ministri—Quid de illâ sentiendum sit clarè et expressè docet S. Pontifex Pius VI. tum brevi lato die 11 Martii 1791, tum primis Litteris commonitoriis 13 Aprilis ejusdem anni, ubi eam dicit, *ex principiis coalescere ab hæresi profectis, adeòque in pluribus decretis hæreticam esse, et catholico dogmati adversantem, in aliis vero sacrilegam, schismaticam ; jura primatûs, et Ecclesiæ evertentem ; disciplinæ, cùm veteri, tùm novæ contrariam ; non alio denique consilio excogitatam atque vulgatam, nisi ad Catholicam Religic-*

nem prorsùs abolendam: * et paulò post S. Pontifex *Civicum juramentum* appellat, *errorum omnium venenatum fontem et originem, Catholicæque Gallicanæ Ecclesiæ mæroris præcipuam causam.* Idem quod S. Pontifex senserunt et docuerunt omnes Episcopi, sive Galliarum, 4 exceptis, sivè Universi Orbis Catholici.

Ex hâc *civili Constitutione* nata est schismatica Galliarum Ecclesia; initia sua debuit perjuriis, et incrementa stupris, adulteriis, incestis et sacrilegis nuptiis, rapinis et cædibus, atque atrociori quæ unquam extiterit in Sacerdotes catholicos et Fideles omnis sexûs, ætatis et conditionis persecutioni. Eversâ semel catholicâ Ecclesiâ, *ad quam prorsùs abolendam excogitata fuerat Constitutionalis,* Pseudo-philosophi, omni jam remoto obice, certo gressu perrexerunt ad perficienda impia sua adversùs Dominum et Christum ejus consilia, ex longo meditata. In omnia Sacra inaudito usque hùc furore debacchati sunt; publicis decretis destructa fuere omnia ad unum monumenta, vel leviore extincto christianæ religionis signo; templa aut diruta, aut polluta infandis abominationibus; sacris Hymnis substitutæ sunt turpes et impiæ cantilenæ, et tremenda Dei ter Sancti altaria occupavit *Dea Rationis et Libertatis.* Ipsis Ecclesiæ *Constitutionalis* Ministris, numero permultis, post ejuratam publicè Christi fidem, impium hunc et impurum cultum promoventibus, Gallia, in qua tot seculorum tractu floruerat christiana et catholica religio, tota facta est publicum Atheismi templum—Proh luctuosi dies quibus clauditur hoc seculum! Dies illis annumerandi, de quibus sic loquebatur Christus Dominus: "NISI BREVIATI FUISSENT DIES ILLI, SALVA NON FIERET OMNIS CARO." (Matth. 24.)

---

* V. 1as Litt. Commonit. 13 April, 1793, versùs medium, et alias quæ subsecutæ sunt Apostolicas Litteras.

INDEX COMPENDII

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

AD intelligentiam hujus indicis attendendum est ad valorem litterarum quæ nominibus subjunguntur

A. designat Antipapam.
C. Concilium.
D. Doctorem sive Scriptorem Ecclesiasticum.
G. Gentem sive Populum.
H. Hæreticum.
P. Papam.
R. Regem, Imperatorem aut Principem.
S. Societatem, sive Ordinem secularem aut regularem.

Quæ sequitur nota arithmetica designat seculum in quo vixit persona appellata.

ABælardus. H. 12.
Abalius D. 17.
Abdias. D. 1.
Acacius. H. 5.
Acæmetæ. S. 6.
Acherius. D. 17.
Acephali. H. 5.
Adeodatus, P. 7.
Ado. D. 9.
Adrianus I. P. 8.
Adrian. II. P. 9.
Adrian. III. P. 9.
Adrian. IV. P. 12.
Adrian. V. P. 13.
Adrian. VI. P. 16.
Ægesippus. D. 2.
Aëriani. H. 4.
Agapetus I. P. 6.

INDEX COMPENDII

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

AD intelligendam [illegible] ad valorem [illegible]

A. designat Antiquum.
C. Concilium.
D. Doctorem sive Scriptorem Ecclesiasticum.
G. Gentem sive Populum.
H. Hæresiarcam.
P. Papam.
R. Regem, Imperatorem sive Principem.
S. Sectatorem sive Doctrinam [illegible] seguitorem.

Quæ sequuntur [illegible] in quo vixit [illegible]

ABelardus. H. [illegible]	[illegible]
Abalius D. [illegible]	[illegible] I. [illegible]
Abdias. D. [illegible]	[illegible] II. [illegible]
Acacius. H. [illegible]	[illegible]
Acæmetæ. S. [illegible]	[illegible]
Acherius. D. [illegible]	[illegible]
Acephali. H. [illegible]	[illegible]
Adeodatus, P. [illegible]	[illegible] I. [illegible]
Ado. D. [illegible]	[illegible]

[illegible]

Agapetus II. P. 10
Agatho. P. 7.
Agnoëtæ. H. 5.
Akempis. D. 15.
Alani. G. 5.
A lapide. (Corn.) D. 17.
Alaricus. R. 5.
Albertus. D. 13.
Albertus. A. 12.
Albigenses. H. 13.
Alcuinus. D. 8.
Alexander I. P. 2.
Alex. II. P. 11.
Alex. III. P. 12.
Alex. IV. P. 13.
Alex. V. P. 15.
Alex. VI. P. 15.
Alex. VII. P. 17.
Alex. VIII. P. 17.
Alex. R. 3.
Alex. R. 10.
Alex. D. 17.
Alliacus. D. 15.
Almainus. D. 16.
Amalarius. D. 9.
Ambrosius. D. 4.
Amedeus. A 15.
Amuratus. R. 15.
Anabaptistæ. H. 16.
Anacletus. P. 2.
Anastasius I. P. 4.
Anast. II. P. 5.
Anast. III. P. 12,
Anast. A. 9.
Anast. R. 6.
Anast. D. 6.
Anast. D. 9.
Andegavense. C. 5.
Andreas. D. 7.
Anicetus. P. 2.
Anomæi. H. 4.
Anselmus. D. 11.
Anterus. P. 3.
Antiochenum. C. 3.
Antoninus. R. 2.
Antoninus. D. 15.
Antoninus. S. 15.
Antropomorphitæ. H. 4.
Apollinaristæ. H. 4.
Apollonius. H. 1.
Aquila. H. 2.
Arausicanum. C. 6.
Arcadius. R. 5.
Arcudius. D. 17.
Arelatense. C. 4.
Argentré. D. 18.
Ariani. H. 4.
Arias. D. 16.
Ariminense. C. 4.
Ariminensis. D. 14.
Arminiani. H. 17.
Arnaldistæ. H. 12.
Arnaldus. D. 17.
Arnobius. D. 4.
Ascetæ. S. 4.
Asfeldius. D. 18.
Athalaricus. R. 5.
Athanasius. D. 4.
Athanasius. H. 7.
Athaulphus. R. 5.
Athenagoras. D. 2.
Attila. R. 5.
Augustiniani. S. 13.
Augustinus, D. 4.

Augustulus. R. 5.
Avitus. D. 6.
Aurelianus. R. 3.
Aurelius. R. 2.
Aureolus. D. 13.

B.

Babinus. D. 18.
Baianistæ. H. 16.
Bajazetes. R. 14.
Bailius. H. 17.
Balduinus. R. 12.
Bailletus. D. 17.
Bannesius. D. 16.
Barbosa. D. 17.
Barnabas. D. 1.
Barnabitæ. S. 16.
Baronius. D. 16.
Basileense. C. 15.
Basilidiani. H. 2.
Basilius. D. 4.
Basilius. R. 9.
Batavi. G. 16.
Bavarus. R. 14.
Becanus. D. 17.
Beda. D. 7.
Beguardi. H. 14.
Bellarminus. D. 17.
Bellovacensis. D. 13.
Benedictini. S. 17.
Benedictus. I. P. 6.
Bened. II. P. 7.
Bened. III. P. 9.
Bened. IV. P. 10.
Benedictus. V. P. 10.
Bened. VI. P. 10.
Bened. VII. P. 10.
Bened. VIII. P. 11.
Bened. IX. P. 11.
Bened. X. A. 14.
Bened. XI. P. 14.
Bened. XII. P. 15.
Bened. XIII. P. 18.
Bened. XIV. P. 18.
Bened. S. 6.
Bened. S. 9.
Berengarius. H. 11.
Bergier. D. 18.
Bernardinus. D. 15.
S. Bernardus. D. 12.
Berthier D. 18.
Bessario. D. 15.
Beza. H. 16.
Biel. D. 15.
Bissy. D. 18.
Bituricensis. C. 15.
Blampinus. D. 18.
Blesensis. D. 12.
Blosius. D. 16.
Boëtius. D. 6.
Bogomili. H. 12.
Bollandus. D. 17.
Bonacina. D. 17.
Bonaventura. D. 13.
Bonifacius. I. P. 5.
Bonif. II. P. 6.
Bonif. III. P. 7.
Bonif. IV. P. 7.
Bonif. V. P. 7.
Bonif. VII. A. 10.
Bonif. VIII. P. 13.
Bonifacius. IX. P. 14.
Bordaloüs. D. 17.

Bordinus. A. 11.
Bossuetus. D. 17.
Brumoi. D. 18.
Brunius. D. 18.
Brunswikæus. R. 18.
Bucananius. H. 16.
Bucerus. H. 16.
Bulgari. H. 12.
Bulletus. D. 18.
Bullingerius. H. 16.
Bullionius. R. 11.
Burchardus. D. 12.
Burgundiones. G. 5.

C.

Cabassutius. D. 17.
Cadalous. A. 11.
Cærularius. H. 11.
Cæsarius. D. 6.
Cajetanus. D. 16.
Caius. P. 3.
Caius. D. 3.
Calcedonense. C. 5.
Caligula. R. 1.
Calixtus. I P. 3.
Calixtus. II. P. 12.
Calixtus. III. P. 15.
Calmetus. D. 18.
Calvinistæ. H. 16.
Camaldulensis. S 11.
Canones Apost. 1.
Cantor. D. 12.
Canus. D. 16.
Capetus. R. 10.
Capræolus. D. 15.
Capucini. S. 16.
Caracalla. R. 3.
Caranza. D. 16.
Carlostadius. H. 16.
Carmelitæ. S. 12. et 16.
Carolus. D. 16.
Carolus. R. 8, 9, 17 et 18.
Carpocratiani. H. 2.
Carthusiani. S. 11.
Carus. R. 3.
Cassianus. D. 5.
Cassiodorus. D. 6.
Castrensis. D. 16.
Cathari. H. 3.
Catharinus. D: 16.
Cedrenus. D. 12.
Celestini. S. 13.
Celestinus. I. P. 5.
Celest. II. P. 12.
Celest. III. P. 12.
Celest. IV. P. 13.
Celest. V. P. 13.
Cellerius. D. 18.
Cerdoniani. H. 2.
Cerinthiani. H. 1.
Cezenas. H. 14.
Chopin. D. 18.
Christophorus. D. 5.
Chrysologus. D. 5.
Chrysostomus. D. 5.
Cisterciensis. S. 11.
Claromontanum. C. 11.
Clavasius. D. 15.
Claudius. R. 1.
Clandius. H. 9. et 17.
Clemens. I. P. 1.
Clem. II. P. 11.

Clem. III. P. 12.
Clem. IV. P. 13.
Clem. V. P. 14.
Clem. VI. P. 14.
Clem. VII. P. 16.
Clem. VIII. P. 17.
Clem. IX. P. 17.
Clem. X. P. 17.
Clem. XI. P. 17.
Clem. XII. P. 18.
Clem. XIII. P. 18.
Clem. XIV. P. 18.
Clem. D. 5.
Cletus. P. 1.
Climacus. D. 6.
Clodovæus. H. 5.
Cluniacensis. S. 10.
Cochlæus. D. 16.
Coletus. D. 18.
Colliridiani. H. 4.
Colonia. D. 18.
Comestor. D. 12.
Comitolus. D. 17.
Commodus. R. 2.
Comnenus. R. 11.
Concina. D. 18.
Concordatum. 16.
Conon. P. 7.
Conon. P. 7.
Constans. R. 7.
Constantiense. C. 15.
Constantinopolitanum I. C. 4.
Constantinopolitanum II. C. 6.
Constantinop. III. C. 7.
Constantinop. IV. C. 9.
Constantinus. P. 8.
Constantinus. A. 8.
Constantinus. R. 4. 7 et 10
Constantius. R. 4.
Copronimus. R. 8.
Corbario. A. 14.
Cornelius. P. 3.
Cornelius. D. 17.
Covarruvias. D. 16.
Courtenaius. R. 12.
Cromvellius. R. 17.
Cujacius. D. 16.
Cuza. D. 15.
Cyprianus. D. 3.
Cyrillus. D. 4.
Cyrillus. D. 5.

D.

Damascenus. D. 8.
Damasus. I. P. 4.
Damasus II. P. 11.
Damianus. D. 11.
De Auxiliis. C. 17.
Deschamps. D. 17.
Decius. R. 3.
Decretales. I.
De Luna. A. 14.
De Mercede. S. 13.
De Osma. H. 15.
Deus-dedit. P. 7.
Delrio. D. 17.
Diana. D. 17.
Diocletianus. R. 3.
Dioscorus. P. 3.
Dionysius. D. 3 et 6.

Dionysius. H. 5.
Dioscorus. A. 6.
Dominicani. S. 13.
Domitianus. R. 1.
Domnus. I. P. 7.
Domnus. II. P. 10.
Donatistæ. H. 4.
Driedo. D. 16.
Droinius. D. 18.
Duguet. D. 18.
Dupin. D. 17.
Durandus. D. 14.
Duvallius. D. 17.
Dydimus. D. 4.

E.

Ebion. H. 1.
Ebredunense. C. 18.
Ekius. D. 16.
Eleutherius. P. 2.
Eligius. D. 7.
Elipandus. H. 8.
Elisabeth. R. 16.
Encratitæ. H. 2.
Ephosinum. C. 5.
Ephrem. D. 4.
Epiphanius. D. 4.
Erasmus. D. 16.
Espencæus. D. 16.
Estius. D. 17.
Evagrius. D. 6.
Evaristus. P. 12.
Evellonius. D. 17.
Eucherius. D. 5.
Eudistæ. S. 17.
Eugenius I. P. 7.
Eugenius II. P. 9.
Eugenius III. P. 12.
Eugenius IV. P. 15.
Eulalius. A. 5.
Eusebius. P. 4.
Eusebius. D. 4.
Eutychiani. H. 5.
Eutychianus. P. 3.

F.

Fabianus. P. 3.
Facundus. D. 6.
Fagnanus. D. 17.
Favellus. H. 16.
Farinacius. D. 17.
Felix I. P. 3.
Felix II. P. 5.
Felix III. P. 6.
Felix A. 15.
Felix H. 8.
Fenelonius. D. 17.
Flagellantes. H. 13.
Flavianus. D. 5.
Fleury. D. 18.
Florentinum. C. 15.
Florus. D. 9.
Fonteberaldi. S. 12.
Formosus. P. 9.
S. Franc. Sal. D. 17.
Franciscani. S. 13.
Frassenius. D. 17.
Fratricelli. H. 14.
Fredericus I. R. 12.
Fredericus II. R. 13.
Fredericus R. 15.
Felbertus D. 11.

Fulco. R. 12.
Fulgentius. D. 6.
Fuliensis. S. 16.
Fullo. H. 5.

G.

Gaguinus. D. 16.
Galba. R. 1.
Galerius. R. 3.
Galerius. R. 4.
Gallienus. R. 3.
Gallus. R. 3.
Gandavensis. D. 13.
Gaudentius. D. 13.
Gelasius. I. P. 5.
Gelasius. II. P. 12.
Genebrardus. D. 16.
Gennadius. D. 5.
Gensericus. R. 5.
Gerbasius. D. 17.
Germanus. D. 8.
Gerso. D. 15.
Gibelini. S. 13.
Gibertus. D. 18.
Gillimer. R. 5.
Giraudeau. D. 18.
Gnostici. H. 1.
Gomaristæ. H. 17.
Gonetus. D. 17.
Gordianus. R. 3.
Gothescalcus. H. 9.
Gothi. G. 5.
Granatensis. D. 16.
Grandimontensis. S. 11.
Graphius. D. 16.
Gratianus. R. 4.
Gratianus. D. 12.
Gregorius I. P. 7.
Greg. II. P. 8.
Greg. III. P. 8.
Greg. IV. P. 9.
Greg. V. P. 10.
Greg. VI. P. 11.
Greg. VII. P. 11.
Greg. VIII. P. 12.
Greg. IX. P. 13.
Greg. X. P. 13.
Greg. XI. P. 14.
Greg. XII. P. 15.
Greg. XIII. P. 16.
Greg. XIV. P. 16.
Greg. XV. P. 17.
Greg. D. 3.
Greg. D. 4.
Greg. D. 6.
Groperus. D. 16.
Guelphi. S. 13.
Guitbertus. A, 11.

H.

Habertus. D. 17.
Hadrianus. R. 2.
Halensis. D. 13.
Harduinus. D. 18.
Heliogabalus. R. 3.
Helyot. D. 18.
Helvidius. H. 4.
Henriciani. H. 12.
Henricus IV. R. 11.
Henricus V. R. 12.
Henricus VIII. R. 16.
Henriques. D. 17.

Heraclius. R. 7.
Hericourt. D. 18.
Hermas. D. 1.
Heruli. G. 5.
Hieronimus. D. 5.
Higinus. P. 2.
Hilario. S. 4.
Hilarius. D. 4.
Hilarius. P. 5.
Hilarius. D. 5.
Hildericus. R. 5.
Hilduinus. D. 9.
Hincmarus. D. 9.
Hippolytus. D. 3.
Holdenus. D. 17.
Honorius I. P. 7.
Honor. II. P. 12.
Honor. III. P. 13.
Honor. IV. P. 13.
Honor. R. 5.
Honor. D. 12.
Hormisdas. P. 6.
Hosius. D. 16.
Hospitalarii. S. 12.
Hostiensis. D. 13.
Houdry. D. 18.
Houbigant. D. 18
Huetius. D. 17.
Hugo. D. 12.
Hugo. D. 13
Huniades. R. 14.
Hunnerius. R. 5.
Hunni. G. 9.
Hustitæ. H. 15.

I.

Jacobitæ. H. 6.
Jacobus. R. 17.
Janseniani. H. 17.
Jansenius. D. 17.
Iconoclastæ. H. 8.
Idiota. D. 14.
Jejunator. H. 6.
Jesuitæ. S. 16.
Ignatius. D. 2.
Ildephonsus. D. 7.
Indifferentes. H. 16.
Innocentius. I. P. 5.
Innoc. II. P. 13.
Innoc. III. P. 13.
Innoc. IV. P. 13.
Innoc. V. P. 13.
Innoc. VI. P. 14.
Innoc. VII. P. 15.
Innoc. VIII. P. 15.
Innoc. IX. P. 16.
Innoc. X. P. 17.
Innoc. XI. P. 17.
Innoc. XII. P. 17.
Innoc. XIII. P. 18.
Joachimus. H. 12.
Joannes. I. P. 6.
Joan. II. P. 6.
Joan. III. P. 6.
Joan. IV. P. 7.
Joan. V. P. 7.
Joan. VI. P. 8.
Joan. VII. P. 8.
Joan. VIII. P. 9.
Joan. IX. P. 9.
Joan. X. P. 10.

Joan. XI. P. 10.
Joan. XII. P. 10.
Joan. XII. P. 10.
Joan. XIV. P. 10.
Joan. XV. P. 10.
Joan. XVI. A. 10.
Joan. XVII. P. 11.
Joan. XVIII. P. 11.
Joan. XIX. P. 11.
Joan. XX. P. 13.
Joan. XXI. P. 13.
Joan. XXII. P. 14.
Joan. XXIII. P. 15.
Jonas. D. 9.
Josephus. D. 1.
Jovinianus. R. 4.
Joviniani. H. 4.
Irenæus. D. 2.
Irenes. R. 8.
Isidorus. D. 5.
Isidorus. D. 7.
Ismaël. R. 15.
Juenius. D. 17.
Julianus. R. 4.
Julius. I P. 4.
Julius. II. P. 16.
Julius. III. P. 16.
Juriæus. H. 17.
Justinianus. R. 6.
Justinianus. R. 7.
Justinus. R. 6.

K.

Kennicott. D. 18.

L.

Labbæus. D. 17.
Lactantius. D. 4.
Ladvocat. D. 18.
Lami. D. 18.
Lando. A. 12.
Landus. P. 10.
Lanfrancus. D. 11.
Languet. D. 18.
Lascaris, R. 13.
Lateranense. I. C. 12.
Lateran. II. C. 12.
Lateran. III. C. 12.
Lateran. IV. C. 13.
Lateran. V. C. 16.
Latomus. D. 16.
Lannoius. D. 17.
Laurentius. A. 5.
Laymannus. D. 17.
Lazaristæ. S. 17.
Leo. I. P. 5.
Leo. II. P. 7.
Leo. III. P. 9.
Leo. IV. P. 9.
Leo. V. P. 10.
Leo. VI. P. 10.
Leo. VII. P. 10.
Leo. VIII. A. 10.
Leo. IX. P. 11.
Leo. X. P. 16.
Leo. XI. P. 17.
Leo. R. 8.
Leo. R. 9.
Leonensis. A. 12.
Leopoldus. R. 17.
Lessius. D. 17.

Liberius. P. 4.
Libertini. H. 16.
Licinius. R. 4.
Linus. P. 1.
Liranus. D. 14.
Lombardus. D. 12,
Longueval. D. 18.
Longobardi. G. 5.
Lucianus. D. 4.
Luciferiani. H. 4.
Lucius. I P. 3.
Lucius. II. P. 12.
Lucius. III. P. 12.
Ludovicus. R. 13.
Ludovicus. R. 17.
Ludovicus. R. 18.
Lugdunense. I. C. 13.
Lugdunense. II. C. 13.
Lugo. D. 17.
Lullus. D. 14.
Lutherani. H. 16.

M.

Mabillonius. D. 17.
Macedoniani. H. 4.
Mahumetani. H. 7.
Mahumetes. I. R. 15.
Mahum. II. R. 15.
Mahum. III. R. 17.
Mahum. IV. R. 17.
Mahum. V. R. 18.
Major. D. 16.
Maldonatus. D. 16.
Manichæi. H. 3.
Marca. D. 17.
Marcellinus. P. 3.
Marcellus. I. P. 4.
Marcellus. II. P. 16.
Marcianus. R. 5.
Marcionitæ. H. 2.
Marcus. P. 4.
Maria. R. 16.
Marsolerius. D. 18.
Martellus. R. 8.
Martha. D. 18.
Martianai. D. 18.
Martinus. S. 4.
Martinus. I. P. 7.
Mart. II. P. 9.
Mart. III. P. 10.
Mart. IV. P. 13.
Mart. V. P. 15.
Masclef. D. 18.
Massilienses. H. 5.
Massillonius. D. 18.
Mathurini. S. 17.
Mauduit. D. 18.
Mauritius. R. 6.
Maxentius. R. 4.
Maxentius. D. 6.
Maximus. D. 5.
Maximus. D. 7.
Mayronis. D. 14.
Mediavilla. D. 13.
Melancto. H. 16.
Melchiades. P. 4.
Meletiani. H. 4.
Melito. D. 2.
Menandriani. H. 2.
Menochius. D. 17.
Merlinus. D. 16.
Merre (le). D. 18.
Michaël. R. 9.

Millenarii. H. 2.
Minimi. S. 15.
Minutius. D. 3.
Moggus. H. 5.
Molina. D. 16.
Molinos. H. 17.
Monothelitæ. H. 7.
Montfaucon. D. 18.
Montanistæ. H. 2.
Montesonus. H. 14.
Montfortius. R. 13.
Mopsuestenus. H. 5.
Morinus. D. 17.
Moschus. D. 7.
Muratori. D. 18.

N.

Navarrus. D. 16.
Nero. R. 1.
Nestoriani. H. 5.
Nicænum. I. C. 4.
Nicænum. II. C. 8.
Nicephorus. R. 9.
Nicolaïtæ. H. 1.
Nicolaïtæ. S. 17.
Nicolaüs. I. P. 9.
Nicol. II. P. 11.
Nicol. III. P. 13.
Nicol. IV. P. 13.
Nicol. V. P. 15.
Nicolius. D. 17.
Noris. D. 17.
Normanni. G. 9.
Novatiani. H. 3.
Novatianus. A. 3.

O.

Octavianus. A. 12.
Odinus. D. 18.
Odo. D. 12.
Odoacer. R. 5.
Œcolampadius. H. 16.
Œcumenius. D. 11.
Okam. D. 14.
Onuphrius. D. 16.
Optatus. D. 4.
Oratoriani. S. 17.
Origenes. D. 3.
Origenistæ. H. 6.
Osius. D. 4.
Osmannus. R. 16.
Otho. D. 12.
Othomannus. R. 14.

P.

Pachomius. S. 4.
Paleologus. R. 13.
Paludanus. D. 14.
Panormitanus. D. 15.
Papin. D. 17.
Pascal. D. 17.
Paschalis. I. P. 9.
Paschalis. II. P. 11.
Paschalis. III. A. 12.
Paschasius. D. 9.
Patavinus. D. 13.
Patianus. D. 4.
Paulianistæ. H. 3.
Paulus. I. P. 8.
Paulus. II. P. 15.
Paulus. III. P. 16.

Paulus. IV. P. 16.
Paulus. V. P. 17.
Pelagiani. H. 5.
Pelagius. I. P. 6.
Pelagius. II. P. 6.
Perronius. D. 17.
Pertinax. R. 2.
Pezero. D. 17.
Petavius. D. 17.
Petrobusiani. H. 12.
Petrus. P. 1.
Phæbadius. D. 4.
Phanatici. H. 16.
Philastrius. D. 4.
Philippus. R. 3.
Philippus. R. 12.
Philippus. R. 18.
Philo. D. 1.
Phocas. R. 7.
Photiani. H. 4.
Photius. H. 9.
Picus. D. 15.
Pipinus. R. 8.
Pisanum. C. 15.
Pisanum. C. 16.
Pissiacensis. C. 16.
Pius. I. P. 2.
Pius. II. P. 15.
Pius. III. P. 16.
Pius. IV. P. 16.
Pius. V. P. 16.
Pius. VI. P. 18.
Placidia. P. 5.
Platina. D. 15.
Polus. D. 17.
Polycarpus. D. 2.
Polycrates. H. 2.
Pomerius. D. 6.
Pontasius. D. 18.
Pontianus. P. 3.
Porretanus. H. 12.
Pougetus. D. 18.
Prædestinatiani. H. 5.
Præmonstratensis. S. 12.
Præpositivus. D. 13.
Pragmatica. 15.
Prateolus. D. 16.
Praxeas. H. 3.
Priscillianistæ. H. 4.
Prochorus. D. 1.
Prosper. D. 5.
Protestantes. H. 16.
Prudentius. D. 5.
Pulcheria. R. 5.
Pullus. D. 12.
Puritani. H. 17.

Q.

Quartodecimani. H. 2.
Quesnelliani. H. 18
Quien. (le) D. 18.
Quietistæ. H. 17.

R.

Rabanus. D. 9.
Raimundus. D. 13.
Ratramnus. D. 9.
Ravestinus. D. 16
Raynaud. D. 17.
Rebaptisantes. H. 3.
Rebuffus. D. 16.

Recollecti. S. 15.
Remigius. D. 5.
Remigius. D. 9.
Remonstrantes. H. 17.
Richardus. D. 12.
Richeristæ. H. 17.
Riket. D. 13.
Robertus. A. 14.
Romanum. C. 18.
Romanus. P. 9.
Rufinus. D. 17.
Ruinartius. D. 4.
Rupertus. D. 12.
Rusbrochius. D. 14.

S.

SA. D. 16.
Sabelliani. H. 3.
Sabinianus. P. 7.
Sacramentarii. H. 17.
Sacy. D. 17.
Sairus. D. 16.
Saladinus. R. 12.
Salesius. D. 17.
Salmeron. D. 16.
Salvianus. D. 5.
Sambovæus. D. 17.
Sammartani. D. 17.
Samosatenus. H. 3.
Sansulpitiani. S. 17.
Saraceni. G. 5.
Saturniani. H. 2.
Scanderbergus. R. 15.
Scotus. H. 9.
Scotus. D. 14.
Scytæ. H. 6.
Secundiani. H. 2.
Semellerius. D. 16.
Semiariani. H. 4.
Semipelagiani. H. 5.
Senensis. D. 16.
Septimus. R. 4.
Sergius. I. P. 7.
Sergius. II. P. 9.
Sergius. III. P. 10.
Sergius. IV. P. 11.
Sergius. A. 2.
Serranus. D. 16.
Servetus. H. 16.
Severiani. H. 2.
Severinus. P. 7.
Severus. R. 4.
Sevoy. D. 18.
Sheffmacher. D. 18.
Sidonius. D. 5.
Sigismundus. R. 15.
Silverius. P. 6.
Silvius. D. 15.
Simon. D. 18.
Simoniani. H. 1.
Simplicius. P. 5.
Siricius. P. 4.
Sirmundus. D. 17.
Sisinnius. P. 8.
Sixtus. I. P. 2.
Sixtus. II. P. 3.
Sixtus. III. P. 5.
Sixtus. IV. P. 15.
Sixtus. V. P. 16.
Smirnensis. S. 2.
Sobleski. R. 17.
Sociniani. H. 16.
Socrates. D. 5.

Solimannus. I. R. 14.
Solimannus. II. R. 16.
Solimannus. III. R. 17.
Sophronius. D. 7.
Sorbonius. D. 13.
Soter. P. 2.
Soto. D. 16.
Sotomaior. D. 16.
Sozomenus. D. 5.
Spondanus. D. 16.
Stephanus. I. P. 3.
Steph. II. P. 8.
Steph. III. P. 8.
Steph. IV. P. 8.
Steph. V. P. 9.
Steph. VI. P. 9.
Steph. VII. P. 9.
Steph. VIII. P. 10.
Steph. IX. P. 10.
Steph. X. P. 11.
Suaresius. D. 17.
Suevi. G. 5.
Sulpitius. D. 5.
Surius. D. 16.
Sylvester. I. P. 4.
Sylvester. II P. 10.
Sylvester. III. A. 11.
Symmachus. P. 2.

T.

Tabiena. D. 16.
Tacitus. R. 3.
Tanuerus. D. 17.
Tapperus. D. 16.
Tatianus. D. 2.
Taulerus. D. 14.
Templarii. S. 12.
Tertullianus. D. 2.
Theatini. S. 16.
Thelesphorus. P. 2.
Theodoretus. D. 5.
Theodorus. I. P. 6.
Theodorus. II. P. 9.
Theodosius. I. R. 4.
Theodosius. II. R. 5.
Theodotiani. H. 2.
Theodulphus. D. 9.
Theopaschitæ. H. 4.
Theophylactus. D. 12.
Theophylactus. A. 8.
Therapeutæ S. 1.
Thomas. D. 13.
Thomassinus. D. 17.
Tiberius. R. 6.
Tillemontius. D. 17.
Tirinus. D. 17.
Titus. R. 1.
Toletus. D. 16.
Tostatus. D. 15.
Totila. R. 5.
Trajanus. R. 2.
Trapenses. S. 17.
Tritheitæ. H. 6.
Tritemius. D. 16.
Trosteianum. C. 10.
Trullanum. C. 7.
Turcæ. G. 14.
Turlupini. H. 14.
Turnelius. D. 18.
Turneminius. D. 18.
Turrecremata. D. 15.

V.

VADINGUS. D. 16.
Valdenses. H. 12.
Valdensis. D. 15.
Valens. R. 4.
Valentia. D. 17.
Valentiniani. H. 8.
Valentinianus. I R. 4.
Valentinianus. II. R. 4.
Valentinianus. III. R. 5.
Valentinus. P. 9.
Van-Espen. D. 18.
Vasquesius. D. 17.
Venantius. D. 7.
Venerabilis. D. 12.
Veron. D. 17.
Vespasianus. R. 1.
Ugolinus. D. 17.
Victor. I. P. 2.
Victor. II. P. 11.
Victor, III. P. 11.
Victoria. D. 12.
Viennense. C. 14.
Vigilantiani. H. 5.
Vigilius. P. 6.
Vigilius. D. 6.
Vincentius. D. 5.
Vitalianus. P. 7.
Urbanus. I. P. 3.
Urb. II. P. 11.
Urb. III. P. 12.
Urb. IV. P. 13.
Urb. V. P. 14.
Urb. VI. P. 14.
Urb. VII. P. 16.
Urb. VIII. P. 17.
Ursinus. A. 4.
Usuardus. D. 9.
Walemburg. D. 17.
Waltonius. D. 17.
Wiclefistæ. H. 14.
Wuitassius. D. 17.

X.

XAVERIUS. D. 16.
Ximenius. D. 16.

Y.

YSAMBERTUS. D. 17.
Yvo. D. 12.

Z.

ZACHARIAS. P. 8.
Zanzolus. H. 6.
Zeno. R. 5.
Zephirinus. P. 3.
Zinzinus. A. 9.
Zonaras. D. 13.
Zozimus. P. 5.
Zuingliani. H. 16.

FINIS.